ALPHONSI DE VARGAS TOLETANI

RELATIO

Ad Reges & Principes Christianos

*DE STRATAGEMATIS ET SOPHISMA-
tis Politicis Societatis Iesu ad Monarchiam
Orbis terrarum sibi conficiendam.*

IN QVA IESVITARVM ERGA REGES AC
populos optime de ipsis meritos infidelitas, ergaque ipsum Pon-
tificem perfidia, contumacia & in fidei rebus nouandi libi-
do illustribus documentis comprobatur.



M. DC. XXXVI.

ALPHONSI DE VARGAS TOLETANI

Ad Reges & Principes Christianos Relatio, de Stratagematis & Sophismatis Politicis Societatis Jesu ad Monarchiam Orbis terrarum sibi conficiendam.

CAPVT I.

CVM Societas Iesu noui generis Monarchiam in vniuerso terrarum orbe non modò super hominum fortunas & corpora, sed etiam super eorum animos, voluntates, sensus & iudicia, animis affectet, ad rem magnopere pertinere censet, omnes alios Religiosorum Ordines & Academias Catholicas contemni nec vllo numero haberi, velut ingeniorum acumine, tum dictionis cultu & copia, tandem sapientia, seu diuinarum & humanarum rerum scientia minus pollentes, suos verò Religiosos, tanquam capitales, ingeniosos, disertos, Musarum pullos, & Suadæ medullas, ac velut aureo fune de cœlo demissos Sapientiæ Doctores, solos adspectari, omnibusq; venerationi & in amoribus ac deliciis esse scriptum quippe meminit Proverb. 17. *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis.* Proverb. 11. *Qui stultus est, seruiet sapienti.* Eccles. 7. *Sapientia confortabit sapientem super decem Principes ciuitatis.* Sapient. 8. *Propter sapientiam habebo claritatem & honorem apud seniores, & in conspectu Potentum admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & sermocinante me plura manus ori suo imponent. Disponam populos, & nationes mihi erunt subiecta.* Nimirum vnicæ ac singularis sapientiæ opinione sibi confecta minimum Societas habebit negotii, vt disponat populos & nationes sibi subiectas habeat. Vt ergo fides omnibus

Cuiusmodi Monarchiã Societas affectet.

Generale eius conficiẽda Mediũ.

Præclara hominum opinio de Iesuitarum sapientia.

Nam sapientia debetur imperium.

Itaque Iesuitæ omnia faciunt, vt aliis sapientiores credãtur.

mnibus fiat, cum Iesuitis natas & interituras literas, ipso que vero serio dictum audire meruisse illud Iob. 12. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia.* Propterea perpetuo suas ac suorum laudes prędicare, omnesq; alios præ se, vt fœnum esse dignos, sermonibus eleuare & contemnere audiuntur. Quod quo minus quis inter puerorum & epheborum subsellia, inq; priuatis matronarum ac diuitum χρυσομάλλων congressibus subinde facere eos ambigat, in publico exstant libri eorum, illustria fastidii, gloriarum & contemtus erga cæteros documenta exhibentes. Non longe abiero. Didaci Baezæ verba sunt Tomo 3. Con. lib. 14. c. 15. §. 4. *Patres Societatis tanta in scribendo diuini muneris copia redundant vt conati in scribendo dici nequeant: & tanta librorum multitudine mundum repleuerunt, vt quotquot numerentur omnium aliarum Religionum scriptoribus Societatis æquari nequeant.* Ista verò Iacobi Kelleri in Cauea Turturis cap. 12. *Societas plus cæteris Religionibus laborat. In cæteris Ordinibus non adeo promti felices & periti animorum medici reperiuntur. Apostolici gregis Pastoribus non est de aliis Vineæ operariis prospiciendum, vbi Iesuitarum viget sanguis, ardor ac pietas: quorum studia & sudores nemo facile æquare potest: ac propterea Societatis priuilegia augeri magis oportet, in quam conuenit, quod Sauli Regi de Dauide dictum fuit: Quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid, fidelis & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?* Et cap. 16. *Nihil profecto purius est & elegantius Societatis stylo. Omnis verborum ornatus, rerum copia & sententiarum dignitas in Societatis eruditionem commigrauit. Methodum Iesuitarum Grauina arguit, quasi quisquam illis PAR in doctrina, vel naturæ ordine accuratè seruando exsisteret. Vulgo notißimum est, Societatis auctores in maiori VBIQVE pretio florere, quam Grauina velit ac iubeat. Quis non malit istorum voluminibus bibliothecam suam instruere? quis abundantius Lectori satisfacit? quis ita funditus difficultates exhaurit? ac varietate, amplitudine ac robore argumentorum stringit, delectat, exsaturat? Tot illi gemmas, & lucidißima priscorum monilia coaceruant, sanctorumq; Doctorum grauißima testimonia constipant, vt qui vnum de Societate volumen legerit, iam reliquos vniuersos de eodem argumento Doctores admirabili compendio se perlegisse existimet atq; exsultet. Monachi peregrinationibus, cantu & aliis deuotionibus populum ad sua templa attrahunt. Sed quantis modis potentior est Societas? Vsque ad inuidiam aliorum & ruborem omnis conditionis & sexus agmina confertim ad eius templa, orationes, conciones ac celebritates properant, indeq; velut sacratioribus epulis saginata magnam animi pacem & alacritatem domum reportant.* Et cap. 17. *Hæretici tam ex certa maiorum & coæuorum relatione, quam præsenti oculorum fide ac testimonio compertum habent, quod Bellarminus asseruit, grauia, multiplicia & omnibus nota à Regularibus siue Monachis scandala profecta, paucißimos pie*

Id probant numero librorum à Iesuitis editorum.

Tum vtilitate ac fructu laborum suorum.

Iesuitæ sunt in Ecclesia plane incomparabiles.

Omnes alios superãt styli elegantia.

Et Methodo

Et aliis laudibus.

Monachi parum hominibus vtiles. Iesuitæ plurimum.

Hæretici merito Monachos infamant.

mos pie victuros, plurimos salutem perdituros. Haeretici maxime in opinione confirmantur, quod intra suarum regionum fines nihil generosum & excellens (in Monasteriis) *sed meri pepones, allia & nasturtia nascantur. Societati Iesu non est periculum, ne post aliquot annorum centurias sibi multum dissimilis appareat. Habet enim aromata à putredine praeseruantia.* (Cap. 14.) *Nepotes maioribus suis neq; in pietate, neq; in disciplina constantia, neq; in doctrina, neq; in ministeriis vel latum unguem umquam cedent, ac in multis etiam superabunt.* His consentanea sunt, quae ab hinc quadriennium Germaniae Iesuitae *in iudicio duorum Theologorum, in Placida Disceptatione & iusta defensione* gloriose de suis laudibus, contumeliosè verò non modò de Monachorum nostri temporis, sed etiam de veterum Ordinum vitiis & delictis praedicarũt. Verbi gratia: *In Societate numquam defuerunt, neq; deerunt MVLTI viri doctrina, prudentia, virtute atq; Apostolico spiritu praediti. Haeretici clamant, Monachos esse inutilia terrae pondera, ventres pigros, stupidas pecudes. Non esse Monasteriorum bona à suis maioribus fundata pro hominibus inutilibus, otiosis, ignauis Inuerti à Monachis Fundatorum intentiones: esse bona illa ad publicam vtilitatem impendenda, fundandas ex iis Scholas, constituenda ex illis stipendia Concionatorum pauperum studiosorum, & eorum qui curam animarum & sacramentorum administrationem procurãt, & similia. Quae Haereticorum argumenta VERA sunt & LAVDE DIGNA, non ex ea parte, qua instituta Monastica condemnant, sed tamen ex ea, qua contendunt, MELIVS esse, bona illa applicare iis, qui publicam Ecclesiae vtilitatem melius & efficacius procurant* (id est, Monasteria ademta Ordinibus danda esse Iesuitis) *Eadem à Catholicis merito perpendi ac re ipsa perfici debent. Fateri candide oportet, à nullo hominum genere maius Ecclesiae Catholicae in Germania illatum esse damnum, quam ab antiquis Ordinibus. Quid ergo mirum, si Dominus vinea illis, qui vineam sibi commissam non tantum ab apro fero eam exterminante non custodierint, sed ipsi etiam pro viribus exterminare conati sint* (id est, Ordinibus Monachorum) *si iis inquam amotis vineam suam elocet aliis agricolis* (id est, si Monachorum opes det Iesuitis) *qui reddant ei fructum temporibus suis? De Ordinibus, hoc est, de Monasteriorum incolis eorumq; vitiis, nimium alij scripserunt: plena sunt archiuia, pleni Visitationum commentarij. In Monasteriis multitudo fuit malorum, raritas bonorum. Pharisaei domum orationis verterunt in speluncam latronum. Vetus ibi Regula laudatur, nouis moribus viuitur. Prona in casum anima pendent Sunt ibi vlcera vulnera, putredines. Societas contra, viget & floret, statque in prima Regula fundatoris Ignatij nihil de pristino rigore leniuit, nihil noua laxitatis admisit. Constitutiones regulaq; accuratè seruantur, omnes in vsu sunt, contra nullam impune delinquitur. Paupertas etiam reddita est adstrictior. Itaque si hodie Monachi antiquorum Ordinum sub perito Magistro sepositis omni-*

Cum idem fecerit Bellarminus.

Iesuitae non modò sunt optimi.

Sed etiam certi semper se tales futuros.

Quae haeretici iactant de Monachorum morib. & institutis.

Sunt vera & laude digna.

Et à Catholicis imitãda.

Ac Monachorum opes danda Iesuitis.

Monasteria Iesuitae dicunt versa in speluncas latronum.

Sed Iesuitae sanctitate florent.

Et sine illis nec Mona-

chi boni esse possunt.

buscuris Spiritus renouationi quietè vacare velint, non habent quo se conferant, nisi ad Collegia Patrum Societatis: vnde etiam spiritualium meditationum exercitia acceperunt.

CAPVT II.

Nec tamen Monachos modo Iesuitæ superant.

VERVM tamen adhuc quanti ab omnibus pendatur, sibi Societas pœnitendum putat, si tantùm ingenio, literis, sapientia, sanctitate & peculiari illa gratia seu priuilegio Aromatum putrorem & futurorũ temporum corruptelam ab ipsa prohibentium omnes Religiosos Ordines antecedere existimetur. Itaque periculum sibi faciendum duxit, si persuaderi sibi homines paterentur, Societatem ipsos etiam Christi Euangelistas, Summos Pontifices, Sacra Concilia, Sanctos Patres, Ecclesiæ ac Scholarum Doctores ac Magistros sapientia & rerum diuinarum intellectu post se relinquere. Hoc enim si Societas omnibus persuaderet, haud stulte spem sibi faceret, Orbis terrarum Monarchia & in omnes Reges, nationes ac populos imperio vel ludibundam se mox esse potituram. Primum istiusmodi Gigantæi conatus specimen Grætii anno 1605. ediderunt in libro, qui non sine venia & approbatione grauium & doctorum Societatis Theologorum ita inscriptus exiit: *Velificatio seu Theoremata de anno ortus ac mortis Domini, auctore Iohanne Dekerio Societatis Iesu.* De quo operæ pretium est Cardinalis Baronii Censoriam notionem cognoscere, quam appendici Annalis duodecimi totidem verbis inseruit: *Anno superiori Gratij in Stiria editam esse prolixam valde disputationem scimus, quæ non tam nostra, quam vniuersalis Ecclesiæ Chronographiæ aduersatur. Ea ipsa confutatione nostra non indiget, quod piorum aures nec audire saltem patienter admittant temere præsumtam Nouitatem, qua primum contra Lucam Euangelistam affirmetur Christus Dominus baptizatus anno ætatis eius trigesimo secundo inchoato, cruci verò affixus, cum annum iam ageret suæ ætatis trigesimum sextum. Par erat dignumque probatum eruditumq; Sacerdotem horum auctorem non circumferri omni vento doctrinæ, sed insistere omnium Sanctorum Patrum vestigiis. Vt sua firmaret, textum* Sacræ Scripturæ SÆPE *vt vitiosum correxit:* id est, religioni non habuit Dei ipsius tabulas corrumpere, nec minus sacrilegii, quam Falsi se alligare. Sed nempe aliter sacra ista non constant, nec aliis artibus, quam fraude ac violentia, magna Imperia parari possunt. Itaque cum Societas iudicaret, Patri Ioh. Baptistæ Pozæ suo satis fœcundum pectus sortito obtigisse, quo concusso artium fundandæ ac stabiliendæ Societatis Monarchiæ idonea-

Sed sapientiores etiam sunt, quam omnes Doctores, Patres, Concilia, Pontifices & Euãgelistæ.

Eam opinionem primũ Gratij palã affectarunt.

Vt Baronius queritur.

Qui etiam falsi crimine eos accusat.

Societas ingenio Pozæ vtendum sibi putauit

idonearum plena foraca vel vehicula eruptura viderentur:religioni sibi duxit eius pati ingenium situ corrumpi, ac non potius audendo atque agendo exacui,inque debilitanda & conuellenda Conciliorum, Pontificum,Patrum & Scholasticorum Doctorum auctoritate, conficienda verò Sociis diuinitatis cuiusdam opinione feliciter occupari. Attemperatè verò cecidit, vt vetus illa de B. Virginis Conceptu inter Dominicanos ac Franciscanos controuersia multis Iesuitarum libris nō multo prius resuscitata Hispaniæ Reges, Magnates & populos ei parti conciliaret,quæ maiori erga B. Virginem reuerentia ac pietate facile se cōmendat. Eam enim Iesuitæ occasionem arripuere minuendi opinionē, quæ de B. Thoma Aquinatis ingenio ac sapientia tot iam sæculis vniuersam Ecclesiam peruaserat,quamque nuper ad modum Paulus V. literis ad Nobilitatem Neapolitanam datis hoc Elogio prosecutus fuerat: *Splendidissimus Catholicæ fidei athleta, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit.* Hunc Clypeum vt in contemtum adducerent,& Ecclesiæ tandem de manu excuterent, magna passim cū inuidia Thomæ opprobrarunt,quod minime satis habuerit impiam de B. Virgine sententiam credere ac docere, quasi Dei mater aliqua temporis parte fuerit Diaboli filia, sponsa Spiritus Sancti fuerit Satanæ ancilla, Angelorum regina fuerit peccati serua,plena gratia fuerit filia iræ, benedicta in mulieribus fuerit Deo abominabilis,obnoxia maledictioni & indigna altissimo illo fine,cuius causa fuerat creata:sed etiam quod falsi crimen in se admiserit, dum docuit, esse de Fide, siue necessario credendum, quod eadem Deipara originalis peccati labem in Adamo contraxerit. Eundem leuitatis & mutabilitatis notarunt, quod alios aliter de hac ipsa controversia statuerit, neque adeo ab eo abludat illa Spiritus sancti sententia: *Stultus vt Luna mutatur.* Congesserunt etiam ex variis eius voluminibus complures eius sentētias & opiniones, quas Ecclesia post condemnarit,aut Academiarum consensus hodie pro falsis repudiet. Præterea verò suadendo,orando, obtestando, & tundendo perfecerunt tandem, vt Rex Catholicus missa magni splendoris & impensæ Legatione, Imperator verò omnesque Catholici Reges & Principes non vnis literis Romam datis ab Apostolica Sede contenderent, vt immaculata B. Virginis Conceptio cum credendi necessitate toti Ecclesiæ proponeretur. Hoc enim si ex voto processisset, de Thomæ doctrina velut afflicta, deq; vniuerso Dominicanorum Ordine, triumphaturi sibi videbantur, hoc amplius autem se ingentem à populis gratiam inituros intelligebant, vt fabulas in Societatis suæ honorem confictas minore negotio cunctis persuaderent qualis est, quæ in libro de Igna-

ad summā sapientiæ opinionem sibi parandā.

Per occasionem defendendi immaculatam B. Virginis cōceptionem.

S. Thomæ doctrina Ecclesiæ clypeum.

Quem Iesuitæ tentarūt Ecclesiæ de manu excutere.

Exprobrando ei errores.

Et crimen falsi.

Et leuitatis.

Persuadent Regi Catholico, vt legatum Romā mittat.

Ementiuntur cœlestes visiones. de Ignatii vita à Ioh. Eusebio Nirenberger Madriti edito fol. 83. legitur. *Vnus præcipuorum finium, quorum causa Societas in hunc mundum missa fuit, est stabilimentum purissimæ Conceptionis B. Virginis, sicut de cœlis reuelatum fuit Sancto Fratri A'fonso Rodericio.* Quam verò iusta metuendi causa sit, ne Rodericius iste somnio non de cœlis, sed è Sabinis, aut per eburneam portam misso delusus fuerit, ex iis, quæ mox afferentur, iudicari poterit. Huic altera consimilis est fabula fol. 69. *B. Virgo simul cum duobus Iesuitis Petro Fabro & Francisco Strada apparuit Iohanni Nunnez de Guzman, eiq; dixit, si filio meo in tantum seruire cupis, vt magis non possis, istos sequere.* id est, fias Iesuita. *Gloriantur suam Societatem esse omnium Religionum perfectissimam.* Sic enim omnibus Monachis & Eremitis, etiam Carthusianis & Camaldulensibus, multo eris perfectior, & paulo minor ab Angelis, cum ea sit Societatis perfectio, vt ea maior inter homines cogitari nequeat. Sicut eodem libro fol. 3. totidem verbis gloriãtur: *Ignatius fundauit Societatem in tam alto perfectionis gradu, vt sit omnium supremus.* In quo tamen (velut mendacibus vsuuenire solet, vt madida sint memoria) parum eius fuerunt memores, quod maiores sui anno *In quo mendacij propria confessione conuincuntur.* 1564. *Rectori & Academiæ Parisiensi in Declaratione sua* responderant: *Quoniam nomen hoc Religionis semper hactenus solitum est tribui Monachis ob quandam excellentiorem vitæ rationem, nolumus vt quisquam intelligat, nos esse ad eundem modum Religiosos, nec enim nos dignes esse arbitramur, qui tam sanctum atque PERFECTVM vitæ genus profiteamur.* Itaque facilius fidem nobis fecerint, istam Fabri ac Stradæ sociam non Dei genetricem Virginem, sed *satam nocte Viraginem* fuisse, quam Maro memorat ad turbandam Italiæ pacem à Iunone ab inferis fuisse excisam. Paris artificii fabula est ista fol 11. *Mentiuntur B. Virginem Ignatio apparuisse.* *Ignatio scire desideranti, satisne Deo grata forent quæ ipse commentatus fuerat, B. Virgo apparuit, & approbauit confirmauitq; constitutiones Ordinis sui, quas scripserat, quod etiam plus vice simplici contigit.* Et fol. 15. *Ignatium à Deo didicisse modum fundandæ Societatis.* *Rationem & modum fundandæ Societatis statim à principio conuersionis suæ Deo docente Manresæ didicit. Eo tempore Deus ei reuelauit, quomodo Societatem cõdiuellet, & omnia præcipua instituti capita, sigillatim verò quibus à cæteris Religiosorum Ordinibus distinguitur, sicut ipse Patri Lainez confessus fuit.* Et fol. 21. *Ignatius Chorum* (seu Sacerdotalem Psalmodiam) *in Ordine suo non instituit, quoniam ad Dei seruitium aliter conuenire censuit, quemadmodum & diuina maiestas ei reuelauerat.* *Quod eorũ mendacium tribus argumentis conuincitur. Primum.* Hæc vanitatis esse plenissima nulloque pudore conficta, non vno doceri potest argumento. Ego non nisi tria hîc afferam. Primum cum Ignatius Formulam, ex qua sui viuerent, siue Regulam Societatis conscribere pararet, ad S. Benedicti Casinense Monasterium se contulit, ibique in solitudine de recessu nomothosiæ suæ aliquamdiu vacauit, nonnullis compertæ sanctimoniæ & eruditionis Mo-

nis Monachis cum consilio, tum bibliothecæ suæ copia eum adiuuan-
tibus. At nihil ille tam longinquo ab vrbe secessu, nihil diuturna medi-
tatione, nihil alienis consiliis & libris eguisset, si iam Regulam diuini-
tus didicerat, eamque à B. Virgine confirmatam fuisse certus erat. De- *Secundum.*
inde cum in Societate Præpositi Generalis potestas, velut Capitis, sit
res maioris, quam alia omnia, momenti, quippe in qua totius Regimi-
nis Forma ac velut anima consistat, si Ignatius à Deo acceperat regimi-
nis formam, quam anno 1540. Paulo III. obtulit, & ille ratam esse iussit
& confirmauit, cur decennio post eam formam mutauit, & à Iulio III.
vt Societatis Præposito plurium rerum potestas fieret obtinuit? quod
scilicet in priore Formula potestatem Præpositi angustioribus inclu-
sam finibus minus ex Societatis vsu esse experientia magistra didicisse
sibi videretur. Postremo cum Paulus IV. tumido ore cum Patre Lai- *Tertium.*
nez & Salmerone delitigans, Iesuitas vt contumaces, impios & hæreti-
corum suffragatores grauiter obiurgasset, quod Psalmodiam detrecta-
rent, ac nisi in Chorum coacti eam exsequerentur, malum eis commi-
natus esset, illi non modò ei non regesserunt, sic Deum Ignatio præce-
pisse, & B. Virginem leges à Deo Societati dictatas pro summa impe-
rii, quod in cœlis habet, ratas esse iussisse & confirmasse, Deo autem & *Paulus IV.*
B. Virgini magis, quam homini, obedire oportere: sed etiam in chorum *Iesuitas coë-*
Socios ad sacram Hymnodiam compulerunt, *Et cantare pares, & respon-* *git in choro*
dere paratos: qua de re legi possunt, quæ in Histor. Societ. part. 2. lib. 2. *psallere.*
num. 58. & lib. 3. num. 30. commemorantur. quod qui fecerit, obstupe- *Etiam fide dignissimi*
scet scio ad tantam Iesuitarũ in mentiendo audaciam, cum ipsis etiam *inter Iesui-*
Societatis primoribus, qui summam virtutis ac fidei opinionem apud *tas impudẽ-*
magnos Principes obtinent, adeo verecundiæ non sit de rebus in pro- *ter mẽtiun-tur.*
patulo positis ita palam mentiri. Iohannes certè Argentus, recoctus ac *Exemplo est*
veteranus Iesuita, & Prouinciarum Poloniæ ac Lituaniæ Ephorus seu *P. Argentus*
Visitator, in libro ad Poloniæ Regem de statu Societatis in eisdem Pro-
uinciis cap. 17. pag. 219. mendacium hoc de Paulo IV. proloqui nihil *Qui sciens*
dubitauit: *Paulus IV. tanti ipse quoque Societatem & Societatis parentem I-* *volens de*
gnatium fecit, vt nihil in ea vmquam innouari permiserit. Quod contra in Hi- *Paulo IV.*
storia illa legimus: *Pauli IV. iussu* TOTA *vita quotidiana ratio ac disciplina* *mentitur.*
perturbanda erat, CVNCTA*que suo loco mouenda: non pauca satis vtiliter in-*
stituta posthabenda, vt Choro spatium, quod non modicum occupat, quæreretur.
Vrgebat summi imperium Principis: nec repugnare, nec saltem exonerare in eius
auribus licebat curas. Ite nunc Pontifices maximi, ite Reges ac Principes
Catholici, & deflexis credite auriculis, quicquid apud vos Iesuitæ de
priorum Pontificum erga Ignatium suum veneratione & obsequio

 glorian-

gloriantur. Alia fabula in eadem Ignatii vita cap.35. pag.107. de mortuo Florentiæ per Ignatium resuscitato narratur, etiam hic legi non indigna, vt explorato ab omnibus iudicari possit, vmquamne post homines natos Impostores inuenti fuerint, quibus Iesuitæ nullo pudore mentiendi falsisque miraculis opinionem sanctitatis Ordini suo conflandi palmam concedere, ac non potius omnium ærusca torum & captatorū, dolis & improbis artibus instructorum, familiam ducere debeant.

Caput III.

Nunc immensa caui spirant mendacia folles.

Duo ingentia Miracula Florentina, sanctitatem D Ignatii Loiolæ testatissimam facientia.

FLorentiæ vnus de Societate nostra Grammaticæ Magister discipulum castigarat: qui tam indigne id tulit, vt nefandi sceleris magistrū insimularet, cuius causa mox parens eius ad Rectorem Collegii cum querimonia accessit (*quippe qui Magistrum filio suo cubiculum pudoris polluisse crederet*) Rector discipulum examinis causa ad se accitum in cubiculo solum reliquerat: vbi ille metuens, ne quid Iesuitæ documentum aliis daturi, tristius in se pararent, Dæmonis impulsu cultello, quem penes se habebat, gulam sibi incidit: Quumque mox aduentantes Iesuitæ totum sanguine suo cruentatum inuenerunt, confestim res in tota ciuitate percrebuit, perq; omnium aures peruagatus est rumor, discipulum à Iesuitis esse obtruncatum, eo quod magistri sui Pæderastian, seu Sodomiticam libidinem, detexisset. Tam insigne fuit scandalum, vt cūctis nostros pessum premere liberet, nec profecto manus à nostris populus continuisset, nisi Magnus Dux misso satellitio eis præsidio fuisset. Erant nostri in summa angustia, quo se verterent nescientes. Tandē ad opem Sancti Patris nostri Ignatii, velut ad sacram anchoram, confugere eis in mentem venit, & ante imaginem eius abiecti ac supplices vt ipsis opitulari vellet precibus quæsierunt. O rem miraculosam! Dicto citius adolescens reuixit à mortifero illo vulnere personatus, remque omnem vt gesta fuerat enarrauit. Magistrum suum esse extra noxiam, nec Iesuitas fuisse, qui se vita priuarint, sed se ipsum damnatas sibi manus intulisse. Isto MIRACVLO tam manifesto populus & discipuli illius parentes omne suum odium in amorem & præclaram de S. Ignatio opinionem conuerterunt. Cui aliud nullo genere minus accessit MIRACVLVM, quod discipulus ita fuit immutatus, vt gratæ voluntatis causa

Sancti

Sancti Patris nostri voluerit esse filius, & in Societatem nostram ingressus fuerit, in qua hodie quoq; viuit. DEO GRATIAS.

Quam verò ingentia sint ista non Ignatii miracula, sed propo diosissimorum & ad mentiendum proiectissimorum hominum commenta, facile Principes explorato scire possunt, si Florentiæ exquirere eis libeat, quemadmodum me facere non piguit. Etsi enim multis in locis tam prosperum præstigiarum, atque haud scio an incãtationum & carminum magicorum euentum Iesuitę sortiuntur, vt duplici cæcitatis genere hominibus alioqui minime contemnendis obiecto, qui videre sibi videntur quæ non sunt, iidem non videant ea quæ sunt, quod eorum oculi & aures ad Iesuitas transfugerint, adeoq; literis & cõsignatis tabulis, cuiuscumq; rei velint, testimoniũ eis impertiantur, cũ præsertim qui homines tamen inueniunt, quibus ipsi proposito æternæ beatitudinis præmio Regũ paricidia persuadeant, multo minore negotio persuadere aliis possint, vt Societati ad tutandam eius famã falsum testimonium commodando, non modò nihil piaculi se suscipere, sed etiam de gloria Dei non vulgariter mereri existiment. Florentiæ tamen non eundem, quem in Sueuia, Tiroli, Bauaria, aut etiam in Regia Iberica, præstigiarum suarum successum adhuc experiri eis contigit. Itaq; qui negotii huius veritatem vsq; à radicibus auet cognoscere, id ipsum haud dubie cõperiet, quod mihi homines nobilitate, literis, fideiq; ac virtutis existimatione præcipui Florentiæ anno priore pro satis explorato confirmarunt. Anno nimirum M.DC.XXVI. mense Iulio Laurentius Merula, siue Merlus, ciuis Florentinus, annos quasi viginti tres natus, professione Actuarius, seu Notarius (quem Florentiæ in Fesulani Episcopatus Cancellis videndi mihi facultas fuit) de P. Belisario Tassono Ferrariensi sermonibus, atque haud scio an similiter scripto detulerat; se illum vidisse cum puero quodam nobilissimo columbulatim labra labris conserentem, non cessante interea officiosæ manus ministerio. Quæ res per totam vrbem vulgata sanctissimorum Patrum pudori, vt consentaneum est, incredibiliter grauis accidit, proptereaque extrema fecerunt omnia, vt famigerator ille ad opprobrii recantationem seu palinodiam adigeretur. qui cum sibi à gratia & potentia eorum metueret, nupero alterius exemplo territus, quem illi similem ob causam triremis publicæ remo affigendum curauerant, ad loci religione sacri asylum sibi confugiendum duxit. Iesuitæ tamen tantum illi blanditiarum admouere, vt non dubitarit in ipsorum venire Collegium. Ibi repente Patres patrati magno eum numero circumsistunt trepidantem, & Palinodiæ formulam ab ipsis conceptam ei exhibent, vtque statim suum ei

Iesuitæ de Ignatij miraculis scelerate mentiuntur.

Multis in locis homines fascinãt.

Vt sibi cuius cumq; rei testimoniũ præbeant.

Et falso testimonio se benefacere putent.

Sed Florentiæ id minus ex sententia eis succedit.

P. Tassonus Iesuita Sodomiticæ nequitiæ insimulatus.

Iesuitæ admodũ reue-

rendi & tremendi Patres. nomen subscribat postulant: quod ni faciat, sese vt iudicis sententia in triremem missus ac remo addictus poriisculo & flagro subiaceat, perfecturos comminantur. Ille tot Reuerendorum, vel potius Tremendorum, vultu, conuicio ac minis perterritus scalpello sibi gulam pectusq; sauciare, multoque manante sanguine animo linqui, exanimisque tandem concidere. Inde Patribus non modicus oboriri timor, ne si ille exspirasset, ipsi vim negotii inuenirent, quod non sui iuris hominem domi suæ quasi in carcerem compingere, & terroris denunciatione ad necem sibi consciscendam adigere ausi essent. Ille tamen mox sine cuiusquam votis ac suppliciis, ac miraculo plane nullo, ex animi viriumque se defectione collegit ac resipiit, satisque Iesuitæ habuerunt, nihil ab eo negotii sibi porro exhiberi. Plura de rei totius exitu ex amicis illis cognoscere non potui, quoniam vana eos tenet religio seu scrupulositas, vt vulgo vocant, vt Pharisæorum quorundam fermentum detegere & circumscribere, hoc esse putent vniuersi Ordinis existimationi derogare, eique de gloria diuina ac plurimorum salute bene merendi occasionem eripere. quem eis errorem & scrupulum ipsi Iesuitæ eximere debebant, quorum ista est sententia in Cauea Turturis cap. 10. *Quando Regulares propriam famam suis excessibus miserè prodigunt, atque insuper suos commilitones, præsides & totum Ordinem grandi subijciunt despectui, STIGMATE* (siue infamiæ nota) *omnino digni sunt, quo nominis claritatem amittant.*

Quando & quomodo Iesuitarum scelera sine peccato manifestari possint.

Ea dissimulare nihil prodest.

Similiter in Placida Disceptatione pag 25. *Male agitur, cum integrorum Monasteriorum* (aut Collegiorum) *disciplina taxatur: peius, cum non corrigitur. Negare manifestam dissolutionem perniciosius est, quam affirmare. Nam qui manifesta negat, & fidem sibi detrahit, & fallendi conatum ostendit. In malo roborantur, quorum vulnera teguntur, quæ tegi non possunt. Quare vita spiritualis & ciuilis ex æquo ignarus est, si indignatur illa, quæ in omnium oculos incurrunt, in ore quoque hominum versari. Negotiator suas fraudes, miles rapinos, Nobilis fastum vtrumque obijci patiuntur. Non sint adeo teneri Religiosi, vt crimen læsæ maiestatis esse iudicent, si nota mundo delicta taxentur. Eijcienda profecto est illa animi mollities, nec aspernanda remedia. Alioquin illi, qui & male viuere volunt, & corrigi nolunt, plus quam Pharisaico supercilio alios despectant.* (cuius rei non aliud illustrius documentum afferri potest, quam ipsorum Iesuitarum exemplum: quibus dum cæteri Catholicorũ, præcipueque Monachi parcunt, nec ab eorum fermento attendunt, & occulta dedecorum reuelant, quod Protestantibus gaudii & insultationis materiam præbere vereantur, ipsi supercilium tollunt, & Monachorũ peccata ex occultis Inquisitionum seu Visitationum actis sibi comperta, nisi tamen in eo solentes mentiuntur, palam libris editis exprobrare

Iesuitæ non debent esse tam delicati, vt sibi vitia sua manifesta exprobari deleant.

eis non dubitant.) *Hanc ob causam veteres liberrime Religiosorum mores reprehenderunt. Nec ideo scommatis hæreticorum applaudunt. Hi satyrice in Religiosos inuehuntur, vt notent infamia & pudorem injiciant, veritatem orthodoxam reddant suspectam. Illi paterne monent, vt emendent, vt infamiam male viuendo contractam meliore vita eluant, ut in Dei conspectu humilientur.* Quibus consentanea sunt, quæ in Admonitione illorum de Cauteriata Iesuitarum conscientia, libro Herpiboli anno 1619. edito passim disputantur. Tanquam pag. 195. *Nouit Theologus Christianus, posse incidere tempora, in quibus è re sit & licitum absque vlla reprehensionis debita nota aliorum improba facinora, etiam extra iudicium detegere: vt quando referuntur absque temeritate, tamquam sensibilia quædam exempla, ad audientium legentiumque instructionem necessariam vel commodam. Quando recensentur ad maiorem illorum, quibus consultum esse volumus, nostræque commissi sunt tutelæ, vel ordinata caritas exigit, cautelam, ne scilicet à nequam hominibus corrumpantur. Quando prudenter proponuntur ex animi Christiana commiseratione tacti affectu, vt alij ad precandum pro criminosis prouocentur. Quando scribuntur ob maiorem vtilitatem in ipsos flagitiosos redundantem, &c.* Et pag. 218. *Veritatis suscipiendum est patrocinium, & vera illorum adducenda sunt crimina, qui falsis assentantium laudibus ad proborum perniciem personati multis inconstantiæ sunt occasio, non paucis causa interitus.* Etsi autem amicos, vt dixi, vanus quidam metus retinuit, quin alia vulgo minus nota de Florentinis illis Iesuitis mihi renunciarent, ista tamen quæ velut peruulgata illorum fide retuli, dena in narratione de Ignatianis illis miraculis mendacia manifestant. 1. Adolescentem illum fuisse Grammaticæ Iesuitarum scholæ alumnũ. 2. Eum magistro suo labem adspersisse. 3. Patrem eius ob stuprum filio illatum cum Rectore expostulasse. 4. Ipsum ex vulnere viuere desiisse. 5. Rectorem cæterosque Iesuitas in vota Ignatium vocasse. 6. Ignatium mortuo vitam reddidisse. 7. Istud Ignatii miraculum fuisse euidens & manifestum. 8. Eo miraculo populum Florentinum fuisse commotum, vt Iesuitas plus amaret, plurisque Ignatium penderet. 9. Virbium illum factum esse Iesuitam. 10. Eundem in Societate etiamnum viuere.

Id enim saluti ipsorum expedit.

Iesuitarum facinora etiam extra iudicium reprehendere licet.

Ne opinione sanctitatis aliis noceãt.

In narratione Iesuitarũ de miraculis Florentinis decem numerantur mendacia.

Capvt IV.

HIs igitur aliisque consimilibus fabulis auidas passim & propitias se auriculas inuenturos sperarunt, si tot Regum Principumque allegationibus ex literis Pontifici decretum extudissent, quod B. Vir-

Cur Papa noluerit decidere quæstionem de B.V conceptione.

ginis Conceptum hæreditaria animarum labe ac peccati macula liberaret. Sed tametsi Vrbanus Pontifex pro se ipso tamquam priuatæ sortis Christianus (Doctorem enim non dicam, cum Theologiæ ne discipulus quidem vmquam fuerit) quoniam tamen haud leuem suspicandi causam habuit, si voto Iesuitæ potiti forent, & ipse Regum postulationibus lassatus victas manus dedisset, mox futurum, vt Iesuitæ eadem via sibi ad obtinendas alias, quas cum Ordinibus & Academiis habent, controuersias suffragatores Principes inuenirent, & Hispani nouas subinde Sanctorum consecrationes, ac fortassis ipsius etiam Ossunii Ducis Apotheosin ab Apostolica Sede obtinere contenderent (quo consilio videntur de pio Ducis illius obitu & B. Virginis ad eum in morbo visendum aduentu Relationem typis descriptam Romam misisse) propterea omnes illæ Iesuitarum molitiones vanæ exierunt & optato euentu frustratæ sunt: quod fortassis Beata Virgo sui cultus incrementum alienæ ambitionis telum vel instrumentum fieri dedignaretur, aliudque tempus non fictæ pietati magis amicum, nec tam miris simulationum & dissimulationum artificiis inuolutum opperiri mallet.

Ne à Iesuitis & Hispanis sæpius inquietaretur.

Iesuitæ ergo alia via diuinæ sapientiæ opinionẽ captant. Per nouæ nempe Academiæ in Aula Hispanica constitutionem. In qua se artes belli ac pacis docturos pollicentur.

Nec tamen propterea Societas animum despondit aut sibi defuit, quin alia via totis viribus D. Thomæ omniumque Scholasticorum Doctorum auctoritatem euerteret, diuinæque & humanæ sapientiæ Monopolium in Hispania institueret. A Rege quippe Catholico contendit, vt nouam Madriti Academiam sibi conderet, eique dena aureorum millia annui vectigalis constitueret. Ipsa vicissim Hispanicæ iuuentuti de Nobilitate, quæ frequens eo co fluxura esset, omnia non minus bello terra marique bene administrando, quam paci idonea per Magistros suos se præcepturam pollicebatur. Cum enim Rex terra marique latissime imperet, nec minus ei homines maritimarum, quam militarium rerum periti opus sint, quod alii Religiosorum Ordinum homines, diuinis laudibus in Ecclesia diu noctuque decantandis vacare soliti, nec præstare possint, & nefas quoddam numerent, reliquarum etiam Academiarum Doctores præcipere nec sciant, nec soleant, id sibi cum facile futurum pro magno præstantissimorum quæ habeat ingeniorum numero, tum etiam per patriarchæ seu conditoris sui Ignatii nomothesian licere, vt nimirum non alias modo artes ac disciplinas (demtis Iuris ciuilis ac Medicinæ scientia) auditores suos doceant, sed eis etiam aciei instruendæ, vrbium oppugnandarum, nitrati pulueris conficiendi, globorum missilium effingendorum, tormentorum fundendorum, aliorumque militarium operum modos ac rationes, hoc amplius autem omnia maritimi belli munia & nauticæ rei

Artis militaris professio est consentanea menti & instituti Ignatii.

cærei præcepta tradant. Huic Societatis postulationi Vniuersitates siue Academiæ Hispaniarum libello ad Regem misso typisque de scripto intercessere: in quo Iesuitas describunt *vt homines palam auaros, insatiabiles, aruscatores, regiorum vectigalium fures, arrogantes, ambitiosos, Principum assentatores, aulicos & negotiis sæcularibus vbique se implicantes, fraudulentos, mendaces, veritatis interuersores, infamatores virtutis, vitæ religiosæ hostes, deliciarum amatores, impostores pietatis velo opertos, lupos in vestimentis ouium, nouitatum amicos, Sanctorum Doctorum contemtores, Lutheri & Caluini partiarios ac de hæresi suspectos, pacis publicæ perturbatores, Diabolicæ industriæ homines, serpentes ipsosque Cacodæmones ab omnibus cauendos ac fugiendos.* Duo autem præcipua afferunt argumenta, cur Regi minime expediat nouam Iesuitis Academiam Madriti condere, in eosque tantam auri vim effundere. Vnum, quia Rex ingens æs alienum habeat, ærarium verò funditus exhaustum, ita vt expeditionibus terra marique faciendis nequaquam sumtibus suppeditare possit: ac propterea sine letali culpa non eum tantos Iesuitis reditus largiri posse, quod eum vel Ludouico Molinæ Iesuitæ credere iubent, cuius hæc verba sunt de Iustit. tract. 2. disput. 667. *Hoc loco obseruandum est, Principes, quando suis largitionibus periculo se exponunt grauandi in futurum populos, grauissime peccare peccato mortali iniustitiæ ob nocumentum, quod inde irrationabiliter populis parant, qui postea grauandi sunt nouis tributis. Quo fit, vt Confessarij & Consiliarij ad expendendum peccatum, quod in Regum prodigalitate interuenit, & obligationem quam in posterum habent continendi se in suis sumtibus, ne tributis populos vexent, non solum debent attendere, quod Reges sua prodigunt, sed simul animaduertere debent, quod se iniustitiæ ea ratione exponant periculo grauandi populos.*

Academiarum Hispaniæ publicis de Iesuitis testimoniũ.

Academiæ Regi dissuadent nouam Iesuitis Academiam condere.

Cum Rex sit totus in ære alieno. Et sine peccato mortali superfluas largitiones facere non possit.

Alterum Academiarum argumentum est, quia Iesui æ voce & calamo bellum Diuo Thomæ indixerint, eiusque doctrinam, illud Ecclesię scutum aduersus hæreticos, contemtam reddere, proscribere & perpetuæ obliuioni mandare, manuq; Regia tantum scelus patrare annitantur. *Asseguramos à V.M.* (inquiunt) *con protestas Christianas, que no es conueniente à vuestra real y Catolica grãdeza permittir en sus reinos en su Corte à sus ojos, à su cuesta unas escuelas publicas, adonde por publica profession esten excluidas las doctrinas deste Santo Dotor, con danno de tantos disipulos, que se han de dar desde sus principios no solo por contrarios, si no por enemigos de su doctrina. Esto clamamos, esto defendemos, y esto protestamos a los piès de V.M. y le suplicamos.* Id est: *Omni asseueratione Maiestati Vestræ confirmatum volumus, cum Christiana protestatione, nõ cõuenire regiæ & Catholicæ vestræ magnitudini vt permittat in suis regnis, in sua Regia sub oculis suis, sua impẽsa publicas aperiri scholas, vnde*

Cumq; Iesuitæ sint professi hostes doctrinæ S. Thomæ.

per

per publicam professionem exclusa sint sancti istius Doctoris dogmata, cum tantorum discipulorum damno, qui necesse habent inde à studiorum suorum primordiis se non modo contrarios, sed etiam inimicos D. Thomæ doctrinæ profiteri. Istud est, quod clamamus, quod defendimus, quod protestamur & ad Maiestatis vestræ pedes abiecti supplicamus.

CAPVT V.

Rex & Aula à Iesuitis fascinati.

Iesuitæ Regi auditu grata proposuerunt.

SED ista Academiarum contestatio & obsecratio surdas in Regia aures inuenit, quod eas Iesuitæ quodam quasi fascino iam obseratas haberent, quippe quas partim quæ auditu iucundissima essent afferendo, partim magnifica & gloriosa de se promittendo implessent. De Iucundis existimari potest ex Disputatione publica Madriti habita, quam edito libello indixerant hac inscriptione: *Conclusiones Politicas de baxo del amparo del Rey nuestro sennor.* id est: *Conclusiones Politicæ sub Regis Domini nostri præsidio.* Ibi enim *in genere præcipue* ac rebus relictis *duo Regi* docent *cordi esse oportere, vt feliciter imperet, Commercium & Imperium. nam istos duos esse cardines, in quibus Reipublicæ machina vertatur.* Commercium statuunt *esse exercendum non modò*, vt aliorum Regnorum mos fert, *à plebeijs & mediocris fortunæ hominibus, sed etiam ab Hispaniæ Magnatibus & Regulis, similiterque à Clericis: Magnates tamen ministrorum eam ad rem opera vti oportere. Clericos etiam, non quidem vt plus quam honesto victui satis sit lucri faciant, sed vt egestatem & mendicitatem effugiant, in honesto aliquo contractu nonnullam temporis partem recte occupare.* Quod autem Clericorum nomen de suæ Societatis hominibus intelligi velint, ipsa eorum verba declarant in libello Florentiæ edito an. 1630. cuius hæc est inscriptio: *Militia sacra Euangelicæ pacis ad Illustrissimos Reuerendissimosque Dominos Sacræ Congregationis de Fide propaganda Cardinales auctore P. Fratre Saluatore Vitale Sardiniensi, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ.* Eius pag. 27. & 28. hæc Iesuitarum verba Cardinalibus recitantur: *Necesse est commercia fingere Mercaturæ, vt facilior ad Iapones pateat aditus, & conuersationis opportunitas, & familiaritatis occasio intercedat. Oportet habere facultates & opes, vt Ministri se melius conseruare possint, eosque allicere, & ad Euangelij retia trahere* (quod est ad sinistram, non ad dextram nauigii rete mittere, velut Apostolis Christus præcepit Ioh. 21.) *Oportet ire conformes in habitu & prouincialibus vti vestibus ne mox nouitas eis terrorem incutiat & horrorē, & ne infidelibus rigorosum, difficile & asperū videatur Euangelicum institutū.* quibus verbis Franciscanus ille succlamat: *Deus sancte, fortis, misericors & immor-*

Mercaturā exercendam ab Hispaniæ Magnatib.

Et à Iesuitis

Mercaturā Iesuitæ habent pro opere Apostolatus.

Similiterq; vestium cultum & mollitiem.

& immortalis miserere nobis. Euangelium ipsum, Apostolorum ipsorum hæc detestantur exempla. Ecquis nesciat hoc esse Diabolicum stratagema? quem fidelem atq; Euangelicum professorem latet, hoc repugnare Christi doctrinæ? Erubescat Euangelicus miles, non ad militiam, sed ad Mercaturam incumbens. Ministri Euangelij calcant imperia, si pauperes sunt, si negotiationes & mundi commercia non habent. Prædicatur Indis nudus Iesus in cruce. Rex exigit, vt prædicans sæculi pompas abiecti amictus humilitate condemnet. Prædicatur Christus mendicus & pauper. Ratio postulat, vt prædicator non sit Mercator. O Domini Cardinales quantum farer, si calamus esset liber? Adhibete medelam. Scitis ô proceres sacrosancti, scitis quam maxime, quantum Indiæ animabus detrimentum afferat cupiditas, siue Jesuitarum mercaturam facientium auaritia. Atque hinc satis iam certi sumus, Jesuitarum in sua illa Disputatione hanc fuisse mentem ac sententiam, Regis Catholici vt feliciter imperet, magnopere interesse, vt Hispaniæ Magnates ac Jesuitæ, longo iam Indicorum commerciorum vsu docti, mercaturis exercendis magnos quæstus faciant, & Indiarum opes in Hispaniam importent: quod minime ingratum ad multorum aures accidisse vero est simillimum, sed qui nihil oraculo illo terrentur Eccles. 26. *duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotiator à delicto, & non iustificabitur caupo à peccatis.* Quod deinde ad Imperium attinet, eadem Disputatione Potentiam ad id requiri, Regem docuerunt: *Potentiam* verò *esse facultatem regna, quæ iam Rex possideat, retinendi, & aliena obtinendi*, siue *acquirendi*. Qua doctrina sua auctores Regi fuerunt, vt ideo se Regem à Deo constitutum crederet, vt non modo sua retinendi, sed aliena quoque inuadendi & occupandi facultatem haberet. *Sua* quippe *retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regia laus est: nec regnandi causa ius violare crimen habet, dum cæteris rebus pietas colatur.* Nimirum huc viui peruenimus, vt publicos tam nefariæ ac sceleratæ doctrinæ Magistros, religiosæ professionis homines de Christi Seruatoris nostri contubernio gloriantes, in Aulis videremus. Quod vtinam ne vsquam dociles inueniant discipulos, sed faciant Principes, quod Eccl. 28. monentur: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire*, persuasumque habe, aliena obtinere non potentis Principis, sed impotentis ac violenti Prædonis opus esse. Et Prouerb. 1. *Si te lactauerint* (falsaque Politica imbuerint) *peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra. Omnem pretiosam substantiam repetiemus, implebimus domos nostras spoliis: ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur*

Paupertatē & vestitus asperitatem auersantur.

Iesuitæ Regi suadent tyrannidē & vim iniustā in alios.

Eorum doctrinā Deus auribus excludi iubet.

tur fraudes contra animas suas. Sic semita omni Auari animas possidentium rapiunt.

CAPVT VI.

Iesuitæ multa Regi de se præclara & magnifica promittunt.

QVam porro magnifica & gloriosa de se promiserint, quantumque veræ laudis, ac multiplicis vtilitatis Regem omnemq; Hispaniam exspectare à se iusserint, vel ex paucis, quæ nunc afferentur, existimare Lector poteris. In libello Madriti edito *de zelo S. Ignatij in religione sua instituēda* fol. 38. scribunt: *Platonis Respublica fuit vmbra Societatis Iesu. Quod Socrates & Plato iudicarunt esse Ideam impoßibilem Reipub. bene institutæ, hoc exsecutus fuit Ignatius, sic tamen vt prætermitteret mendas siue imperfectiones, quas nonnulli in illa Reipubl. calumniati sunt.* Communes nempe mulieres habere fuit vna imperfectionum, cuius causa calumniam Platonis Respublica sustinuit. Sed legem illam Platonis, qua in virtutis præmium ius fit bene de Republ. merentibus formosos adolescentes deosculandi, nec Aristoteles calumniari ausus est, aut imperfectionis condemnare. Ignatius igitur mulierum cōmunionem, calumniam effugiens, in Societatem suam non induxit, sed pro ea Merita & Præmia inter socios communia esse voluit, cum Societas nō minus, quam Christi Ecclesia, *ædificaretur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum*, id est, Bellarmino interprete, in qua omnes omnia participant, siue habēt communia, Psal. 123. Itaq; quisquis Societatis membrum est, dicere cum Davide potest Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Quod autem ad Merita Sociorum attinet, in tres ea classes describi possunt, præteritorum, præsentium & futurorum, vt referatur laudabilis ille mos Lacedæmoniorum Reipublicæ, quæ plusquam vlla alia ad Platonicæ, similiterq; ad Ignatianæ similitudinem accessit. In ea tres visebantur chori: primus Senum, quorum hæc audiebantur cantilena: *Nos quōdam eramus incliti bello viri.* alter mediæ ætatis hominum sic de se gloriantium: *Tales sumus nos: fac si vis periculum*: postremus puerorum, qui hoc modo de se pollicebantur: *Virtute vtrosq; nos multum anteibimus.* Iam ad reipub. ab Ignatio cōditæ perfectionem attinet, nec præmium Platonis lege decretum bene merentibus deesse, & alios in alienorum meritorum communionem admitti. Cui consequens est, vt non minus Præmia sint inter socios communia. Minime proinde mirandum est, si Tassonus, quamuis adhuc vnus iuniorum ac fortassis magis de Patrantium, quam de Patratorum Patrum numero, nec tam re, quā spe sociis se commendans, in Platonici illius præmiis partem seu participium & consortium venire voluit.

Suam Societatem gloriantur esse Rempub. Platonis.

Dempta cōmunitate mulierem.

Sed salua libertate formosos osculandi.

In Societate merita & præmia sunt communia.

Merita Societatis triplicia.

Præterita.

Præsentia.

Futura.

Osculum formosorum est præmium meritorum. Cuius particeps P. Tassonus fieri voluit.

Eodem

Eodem libro fol.21. Ordinem suum tanto Monastico statu perfectiorem esse gloriantur, quantum Angelos Deus antecedit. Ita quippe prædicant: *Etiamsi Chorus* (siue sacra Hymnodia) *sit occupatio & officium Angelorum, tamen saluare homines* (quod faciunt Jesuitæ) *est officium Dei.* Sed in eo mendacij Spiritum S. arguunt, qui Ecclesiæ salutem Angelicæ hominũ iustorum psalmodiæ acceptam conferre hoc modo docet Psal. 117. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* Et Isai. 60. *Occupabit salus muros tuos & portas tuas laudatio* siue hymnodia. Isai. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini ne taceatis, & ne detis silentium ei* (id est, nec sinatis Deum quiescere, sed diurno nocturnoque cantu vestro tamdiu eum inquietate) *donec stabiliat Ierusalem eamq́; ponat laudem in terra,* id est, donec stabilis & gloriosa appareat. Psal. 50. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Psal. 68. *Ego pauper & dolens* (siue carnem meam abstinentia, ieiuniis, vigiliis, laboribus, cilicio, frigore & nuditate castigans) *laudabo nomẽ Dei cum cantico, magnificabo eum cum laude.* Et placebit Deo super Vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas. Id est, gratior erit illi, quam nouitius Clericorum Ordo, Principum fauoribus velut Cornibus armatus & triturans Bos, prataq; aliena depascere postulans.

Iesuitæ gloriantur se tanto præstantiores Monachis, quantum Deus superat Angelos.

Psalmodia Monachorũ est salus Ecclesiæ.

Monachorum cantus & mortificatio longe Deo gratior.

Quam Iesuitarum tritura.

Ibidem fol.34. contendunt, suam viuendi rationem esse dissimillimam vitæ Johannis Baptistæ, *qui venit non manducans panem, neq; bibens vinum, & vestitus de pilis camelorum, atque hominibus lamentabundus, vt plangerent,* imitari autem sese ordinariam Christi vitam, ita vt victu & vestitu nihil intersint communi honestorum hominum consuetudine, & *conuiuia magna diuitum* (Luc. 5.) libenter obeant, familiariterque *cum Principibus & Pharisæis manducent ac bibant, & tibia canant, vt homines saltẽt* choreasque agitent, ac fortassis *lætentur cum male fecerint, & exultent in rebus pessimis* (Prouerb. 2.) quod non paucos facere videmus, quorum pedes Jesuitis tibiam inflantibus ad saltandum pruriunt. Verum quidẽ est, Christum hominibus *tibia cecinisse vt saltarẽt,* velut ipse Matt. 13. prædicat. Sed cantus eius longe à mollibus & cinædicis Jesuitarum cantiunculis abfuit, nec Jonicos motus vllos in audientibus excitauit. *Beati pauperes* (canit ille) *quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum mala dixerint vobis homines & persecuti vos fuerint propter me: Gaudete & exultate* (& præ lætitia sussultate ac tripudiate) *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis,* Matth. 5. Nec minus tamen eiusdem tibiæ hic exauditus fuit sonus: *Eritis odio omnibus propter nomen meum. Omnis, qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo. qui autem perseuerauerit vsque in finem,*

Iesuitæ fatẽtur se dissimillimos Iohannis Baptistæ.

Sed gloriantur se Christi similiores.

Conuiuia obeundo.

Christus cecinit tibia vt homines saltarent.

Eius cantilena.

in finem, saluus erit (Matth.10. Johan.16.) *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram* (Luc.6.) *Impossibile est apud homines, vt diues intret in regnum cœlorum,* Matth.19. Quid de cantilena ista dicemus? numquid non est, vt ait poëta, *Tibia funesta tristior ista tuba?* Jesuitæ tamen ibidem contendunt, Violentiam illam, qua Johannes in corpus suum vsus fuit, esse potiùs scandalo hominibus, quàm adiumento, ac potius in destructionem, quam in ædificationem. In quo Christum ipsum mendacij insimulant, qui perspicuè affirmat, eiusmodi Violentiam vnicum esse telum ac medium ad homines rapiendos & regno cœlorum inferendos: *A diebus Iohannis Baptistæ vsque nunc regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Idem Matth.9. suos discipulos non minus, quam discipulos Johannis, ieiunaturos prædicit. Ac propterea Paulus imitationem violentiæ Johannis ab omnibus Dei ministris ita exigit 2. Corinth. 6. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia in necessitatibus* (siue in defectu & inopia rerum victui & amictui necessariarum) *in vigiliis, in ieiuniis, in laboribus, quasi morientes, & ecce viuimus.* Et 1. Corinth: 4. *Vsque in hanc horam nos Apostoli & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & instabiles sumus, colaphis cædimur, blasphemamur, maledicimur, purgamenta huius mundi facti sumus. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* quo ipso satis declarat, quam parum Christi & Apostolorum vita ordinaria cum honestorum hominum consuetudine congruere soleret. Sed Jesuitæ cum Christi & Apostolorum nolint esse similes, volunt Christum & Apostolos facere similes ipsorum.

Iesuitæ Violentiam Iohannis reiiciũt vt Euangelij impedimentũ.

Christus tamen eam requirit ut necessariam.

Quod similiter Paulus fecit.

Idque vita Christi & Apostolorum docet esse consentaneum.

CAPUT VII.

EIusdem libri fol.13. gloriantur, *hoc Societatis proprium esse, vt quotidie nouas promat inuentiones, quibus homines ad Deum perducantur*: quod etsi minime prouano ab eis prædicari, vel ex Mercatura paulo prius apparuit, per quam homines ab erroribus & peccatis ad pœnitentiam & fidem adduci plane nouum nec vnquam à tot sæculis auditæ inuentionis esse fatendum est: tamen hinc etiam multo fit manifestius, quod docent Terrore & Armorum vsu Euangelium hominibus persuaderi oportere. Germaniæ quidem Jesuitæ in *Iusta defensione sua, pag.*127. & 129. Monachos irrident, qui Apostolos & maiores suos imitati verbi prædicatione & vitæ sanctimonia hæreticos ad Ecclesiæ communionem reducere conentur. Istius enim modi non nisi inter ethnicos vsum aliquem esse: *Hæreticos verò edictis* MINIS *atque etiam* POENIS *compelle*

Iesuitæ gloriantur de nouis suis inuentionibus in fide propaganda. Qualis est Mercatura. Et compulsio hominum per arma carnalia.

pelle oportere. Hic optimus est hæreticos conuertendi modus. Est igitur quod Deum pudeat, optimum hunc modum ante exortos Jesuitas ignorasse. Ille enim de modis instaurandæ ac reædificandæ domus suæ (per quam homines ex hæresi, velut Judæi ex captiuitate Babylonica reduces significantur) suam sententiam ita expresserat Zach. 4. *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, manus eius perficient eam, non in exercitu, neque in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.* Idem etiam Eliæ demonstrauit, se non futurum neque in spiritu grandi seu vento turbine, neque in terræ motu, neque in igne. 3. Reg. 19. *Spiritus grandis & fortis, subuertens montes & conterens petram ante Dominum: sed non in spiritu Dominus. Et post spiritum terræ commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus.* (id est, non prosperat eorum conatus, qui sibi ipsis suaues in alios violentia vtuntur) *Et post ignem sibilus auræ tenuis*: in quo erat Dominus, *mitis & humilis corde: non tristis, neque turbulentus, qui non clamat, nec contendit, nec audit aliquis in plateis vocem eius*, Matth. 11. & 12. Cui quam cordi sit, vt sibilo auræ tenuis homines ad Ecclesiam congregemur, ipse Zach. 10. ita testatus est: *Sibilabo eis, & congregabo illos, qui redemi eos: & seminabo eos in populis, & recordabuntur mei. Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt.* Sed noua Jesuitarum inuentio nihil spiritum Dei, nihil sibilum auræ tenuis moratur, sed exercitum, sed robur, sed ignem adhiberi consulit. Ac propterea manifestissimo & incredibilis impudentiæ mendacio in libro de Vita Ignatij anno 1630. Madriti per Iohannem Eusebium Nirenberger edito fol. 4. hoc de Ignatio narratur prodigium, cuius nec Ribadeneira, nec alij prius meminerant, *eum cum baptizaretur, & parentes eius incerti essent, quod ei nomen facere deberent, infantem alta voce nomen sibi esse voluisse Ignatio, quod si Ignem iacio, vt significaret officium, quod in Ecclesia esset sortiturus.* In quo quam scelerate mentiantur, nemini esse obscurum potest, qui sciat, & non *Ignatio*, sed *Innico* vel *Eneco* nomen vsque ad ætatem adultam inde à baptismo fuisse. Ita quippe in vita eius familiaris & Secretarius eius Ribadeneira scribit lib. 1. cap. 1. *Innicus, quem posthac Ignatium appellabimus, eo quod nomen istud cæteris nationibus sit communius, & in ipso notius atque vsitatius.* Similiter Orlandinus in Historia Societatis Jesu lib. 8. nu. 46. *Appellabat alicubi populus homines Societatis Hispano vocabulo Inighistas.* Et lib. 5. num. 62. *Aiebant aliqui Vallis oleti Ignatianos, siue patria voce Inighistas iam apparuisse.* Et Melchior Canus Canariensis Episcopus, summæ pietatis, eloquentiæ, doctrinæq; nomine clarissimus (quod ipsi quoque Jesuitæ fatentur) *in Iudicio de Secta Iesuitarum*, quod eius manu conscriptum adhuc exstat, & ad conuincenda plura Orlandinianæ Historiæ

Quem modum Deus ante Iesuitas ignorauit.

Ecclesia quomodo ædificanda.

Deus non probat media violẽtia humana.

Sed lenitatis & mansuetudinis.

Iesuitæ ferro & igne fidẽ propagare conantur.

Horribile eorum mẽdacium de nomine Ignatij.

Loyola non vocabatur Ignatius, sed Innicus vel Enecus.

storiæ mendacia vsui esse potest, Anno 1548. Ignatij familiaris & amici veteris ita meminit: *Vt fundatores Societatis istius accedam, eorum Generalis est quidam Innicus, qui fuga ex Hispaniis euasit, cum eum Inquisitio vellet comprehendere, quod de Illuminatorum hæresi esse diceretur. Peruenit Romam, seq; à Papa iudicari petiit, & quoniam non aderat, qui eum accusaret, fuit absolutus.* Nihilominus vsque eo Iesuitæ sibi de Igne suo placent, vt *Pyrotechnicam*, id est, artem ignes missiles conficiendi eorumque iaculatione domibus & ciuitatibus incendia & conflagrationes inferendi, velut Ignatij sui non minus menti & instituto, quam nomini consentaneam, profiteri audeant. In qua quantum profecerint, Illustrissimi Principis Landgravij Leuchtembergici filius, si minus oculatus, saltem exoculatus testis esse potest. Is enim cum superioribus annis apud Iesuitas educaretur, & ludos eorum in honorem Ignatij nuper consecrati seu canonizati actos spectaret, eiusmodi missilis ignis ictu alterum oculorum amisit. Vnde hominibus dicacibus iocinata occasio, vt dicerent, *alios Diuos in festiuitatibus suis cæcos illuminare, sed Ignatium videntes excæcare*: quod ipsum hodie plurimorum eius Sociorum opus est, quos velut *Ignigenos* illis Comici verbis recte quis à se amoliri & in malam rem abire iusserit:

Iesuitæ Pyrotechnicam profitentur.

Quam excellentes eius sint artifices.

Alij sancti cæcis visum reddunt. Ignatius videntes excæcat.

A Iesuitarū Igne procul fugiendum.

Apage illum à me: nam ille quidem Vulcani irati est filius.
Quaqua tangit, omne amburit: si prope abstes, calefacit.

CAPVT VIII.

Hispania peccatis suis meruit à Iesuitis ludus iocusq; fieri.

SEd non contigit Hispaniæ nostræ, vt ab Incendiario isto hominum genere sibi cauere, quod iure metui potest, ne vnū sit suppliciorum illorum, quæ ingentibus suis peccatis & sceleribus minime iam furtiuis, sed præter oculos euntibus commeruit, & velut *ciuitas illa sanguinum* (Ezech. 22.) *appropinquare fecit dies suos, & adduxit tempus annorum suorum, vt eam Deus daret in opprobrium Gentibus & irrisionem vniuersis terris.* Vberrimam quidē certè risus materiam exteris præbuit libello Madriti edito, qui sic inscribitur: *Suma y breue argumento del Dialogo que se haze à Su Magestad en el principio de las lecturas de sus Reales estudios.* Id est, *Summariū ac breue argumētum Dialogi, qui exhibetur sua Maiestati in principio Acroaseon* siue *Lectionum publicarum in Regia eius Academia Madriti nuper condita.* Ibi enim (vt alias fœdissimas adulationes & ineptias pædagogici ordinis ac iudicij hominibus dignas prætercam) variæ artes ac disciplinæ enumerantur, quarū Acroases Iesuitæ se facturos promittunt: quibus vel nominandis Regem & omnes Aulicos eius hiantes inducunt, etsi earum rerum Doctores tanto hiatu dignos in omni Hispania & Italia nullos se habere,

Iesuitarū sophistica & thrasonica pollicitationes.

habere, ac propterea à nationibus Hispano nomini parũ æquis mutuandos, & ex Gallia ac Germania arcescendos fore, ipsi quoq; apertè ferunt: in quo stupor Hispanorum, satis scio, omnem extero ũ admirationem exhauriet. Operæ pretium fore videtur, nonnulla ex libello illo hic recitari, vt qua Regem impostura circumuenerint, annuoq; vectigali decem millium aureo ũ emunxerint, omnes perspiciant: quos tamen velim præmonitos, mysterio nõ carere, quod Patri Pozæ veterum Philosophorum placita explicãdi data fuit prouincia. Eum quippe idoneum iudicarũt, qui commendandis & corroborãdis Pythagoreorum, Platonicorum, Cyrenaicorum, Stoicorum, Epicureorum & aliorum opinionibus Aristotelẽ imposturæ, calumniæ & sophisticæ suspectum faceret, omnemq; philosophiæ eius auctoritatem dilueret, eoq; pacto D. Thomæ doctrinam velut philosophiæ Peripatheticæ superficiariã, in eiusque fundo immolitam & exstructam, subrueret, labefactaret ac prorsus tandẽ euerteret: vt inde *Infallibilitatis*, quam vocant, prorsusq; diuinæ & falli nesciæ doctrinæ opinio Societati accederet. In illo porrò Acroaseon siue Lectionum Academicarum summario ista promittunt.

Poza dant prouinciam veterũ philosophorum placita docendi.

Ad subruẽdam Aristot. & D. Thomæ doctrinam.

Acroasis Eruditionis siue Humanarum literarum, in qua legetur pars illa, quam Criticam appellant. Id est, quæ occupatur in iudicando, interpretando & emendando difficiliora classicorũ auctorũ loca cuiuscunq; facultatis: similiterq; in docendo ritus moresq; antiquos, eosq; sub certis rerũ generibus collocando. Hanc acroasin faciet Pater Iacobus Sirmondus hora tertia pomeridiana vsque ad quartam.

Promittunt Criticam.

Hoc autem loco ista addita oportuit: Cum enim iam paulo minus centum annis literarũ humaniorum ludos in Hispania apertos habuerimus, & circiter decies centena aureorũ millia annui reditus eo nomine capiamus, nec tamẽ inter nostros vel vnus exstet, qui præter peruulgatas illas scholarum cantilenas quicquam in literis Humanitatis nouerit, ne dum ille literarũ Censuram profiteri possit: necesse habemus Sirmondi Galli hominis operã aduocare, etsi eam Societas tuendæ existimationi suæ sibi non minus in Gallia putat necessariã, cum aliũ vix habeat, quẽ tot Gallis, partim Catholicis, partim Caluini asseclis, ingeniorum cultu, ei interiorum literarum abundantia conspicuis opponat.

Cuius tamẽ peritum in Hispania habent neminem.

Ac propterea Galli hominis operã offerunt.

Acroasis Chronologiæ & Historiæ quà diuinæ, quà humanæ. Eam faciet P. Dionysius Petauius quarta pomeridiana vsq; ad quintam.

Promittunt Chronologiam & Historiam.

Mirum est autem, eum inducere animum potuisse, vt sociis Hispanis tot iam annis in expectatione esset, qui præsertim sibi apud doctissimum Jurisconsultum Alphonsum Caranzam, amicissimũ meum, LOCA LAUTIA parata esse sciret: ex cuius *Diatribis*, quæ iam sub prelo sudant,

Caranzæ Diatribæ in Petauium.

sudant, haud scio an Jesuitæ passuri sint sibi probari, quod Caranza contendit, confidentia, temeritate, maledicti exercitatione, inscitia, mendaciloquentia, aliisq; id genus artibus Jesuiticis post homines natos neminem vmquam ante Patauium fuisse.

Promittunt Mathematicam speculatiuam.

Acroasis prima Mathematum de Cosmographia speculatiua eius partibus (quæ sunt Sphærica, Astronomica, Geographica, Hydrographica, Gnomonica, de Computo Ecclesiastico & profano, omniumq; istorũ vsus & exercitatio in Astrolabio, sphæra, globis, mappis & ephemeridibus, tabulis ceterisq; instrumentis) de Geometria speculatiua eiusq; partibus in elementali linearum, arcuum, circulorum, triangulorum, solidorũ, superficiorum, trãsformationum, proportionũ, &c. & vsus istorum omnium in modo mensurandi, inq; instrumẽtis ad ista necessariis. Acroasin istam faciet P. Paulus Guldin matutina decima ad vndecimam.

Sed eius doctorem ex Germania volunt accire.

P. Nirenbergeri pater multo vir filio melior.

Prudenter tempus Patri Guldin, homini Germano, descriptũ arbitror, qui fortassis à prandio iam ventre cibis distento ac flore Liberi, præsertimq; Iberico, saucius cœlũ & terram non æque internosset, facileq; radio aut gnomone aberraret, aut lineas mendose duceret, nec alium temere ex omnibus Hispaniæ Jesuitis corrigendo eius errori idoneum inuentũ ibi crediderim præter eum, quẽ iam dixi, Iohannem Eusebium Nirenbergerum: si tamen non patrissat, nec testiculi vena vlla paterni adhuc in illo viuit eumq; vinosiorem facit. Veruntamen pater eius, domo Germanus, numquã ne pytissando quidem & sorbillando dies producẽs viri boni officium ebibebat: cuius cãdoris si hæreditatẽ filio reliquisset, nõ ille sibi de sua ac Sociorum versutia vsq; eò placeret,

Cur Veneti Iesuitas in perpetuum proscripserint.

vt rogatus, cur Veneti tam pertinaciter Iesuitas imperij sui finibus submotos, nec vmquã postliminio admissos velint, cum Catulliano Egnatio Celtibericum renidens responderet: Nec philotechnemata siue artificia Societatis Rempublicam Venetam effugiunt, nec vicissim patricias Reipub. Venetæ artes Societas ignorat.

Mirifica prorsus que basilica Iesuitarũ professiones.

Acroasis secunda Mathematum, in qua præcipientur ista: Arithmetica cum suis partibus, nempe de numeris theorica, de supputationibus, proportionibus numerorum, algebra, &c. con istorum vsu. Optica & partes eius, de obiecto puta & speciebus visibilibus, & de visione cum omni sua latitudine. Ichnographia, Orthographia, Scenographia, Sciographia, aut Scioterica, & Anaclastica cum suis partibus, quæ sunt Catoptrica, Specularis, Dioptrica, de admirandis ostentis per refractionem, de Radiatione & visione mixta. De Iride, de areis & coronis lunaribus & solaribus, de colore apparente, de variis meteoris lucidis cum praxi & instrumentis ad omnia ista pertinentibus. Musica cum suis partibus, de obiecto, speciebus & auditu in omni sua latitudine. De variis modis harmoniæ Phrygiæ, Ionica, Dorica, Lydia, &c. De echo &

Musica

Musica refracta cum exercitio tam vocali, quam instrumentali. Statica de ponderibus grauitate & leuitate: cuius partes sunt elementaris, Centromatica, Isorroprostatica, Ligostatica, Manganaria (cum suis speciebus, quæ sunt Mochlostatica, trochileostatica, onostatica, sphenostatica) hydrostatica, aërostatica, Pyrostatica, Polymesostatica cum vsu & instrumentis ad omnia ista pertinentibus. Machinaria, architectonica eiusque partes, quæ sunt architectonica specialis, mechanopoëtica, hydraulica, pneumatica, automatopoëtica, neruospastica, de Zygiis & Ochrimenis. Hanc acreasin faciet P. Gregorius de Sancto Vincentio tertia pomeridiana vsque ad quartam.

Deûm immortalium vitam! quam prodigiosæ Sapientiæ homines habet ista Societas? præ quibus Anglicanus ille Hippias, *Robertus Flud*, vix dignus sit, qui palum figat in pariete. quis non vel auditis istarum artium & scientiarum nominibus properè manibus demissis fugiat, totas Dœmonum legiones Zoroastreis carminibus euocatas mox in conspectum se daturas extimescens? quod si quis minus meticulosus cassis terriculis nihil moueatur, Plautinum illum Iuris Apiciani consultum siue Cocum fortassis exaudire sibi videbitur de diuinis condimentis suis ita paratragœdiantem:

Iesuita Coco Plautino simillimi.

Meas qui esitabunt escas quas condiuero,
Hi vel ducenos annos poterunt viuere.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut si polindrum, aut macidem, aut sancaptidem,
Ea ipsa sese patina feruefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt.
Terrestres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopside, aut cataractria.

Quod autem Coco illi regeritur: *at te Iupiter, Dijque omnes perdant cum condimentis tuis, cumq; omnibus istis mendacijs. Istaccine causa tibi hodie nummum dabo?* eius simile multo maiore merito à Rege audire Iesuitæ poterant: Ite in malã crucem cũ vestra Isorroprostatica, polymesostatica, trochileostatica, sphenostatica. Ite hinc inanis cymbalũ iuuẽtutis. istaccine causa postulare audetis, vt dena aureorũ millia vobis dẽtur annua?

Quid à Rege Catholico audire meruerint.

Acroasis de opinionibus & placitis veterum Philosophorum, in qua docebitur, quousque illi lumine naturali in omnibus supradictis facultatibus peruenerint, quantumq; ex sacris literis lucri sibi fecerint, nec minus quanto Sanctis Patribus antiquis vsui fuerint. Hanc acroasin faciet pater Iohannes Baptista Poza quarta pomeridiana vsque ad quinctam.

Acroasis de re Militari, in qua præcipietur doctrina & forma militiæ veteris & hodiernæ, & species Mathematum arti isti subordinatarum, quæ sunt

Quibus occupationib.

Iesuitæ psalmodiam cōpensent.

Tactica siue de acie instruenda, *Topographica, Machinaria militaris, organopoëtica, Pyrotechnica, &c. Hanc acroasin faciet P. Hermannus Hugo quarta pomeridiana vsq; ad quinctam.*

Capvt IX.

Istarum Acroaseon descriptionem ac velut proplasma cum quidam Regis Consiliarius vidisset, vnam adhuc desiderari animaduertit, qua nec Societas, nec Regia videtur carere posse. Ipsi enim Iesuitæ tum rationibus plus quam mathematicis, tum irrefragabili sacrarum literarum auctoritate docere possunt, ad Regis dignitatem pertinere, vt se ipsum ac domus suæ familiares non modò largo, prolixo ac magnifico, sed etiam lauto, bene condito & iucundo victu accipiat, cum de Salomone haud dubie ad Reges exemplo docendos scriptum sit 3. Reg. 4. *Erat cibus Salomonis per dies singulos decem saginati boues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum atq; bubalorum, & auium altilium,* siue gallinarum, perdicum, pauonum, alitũ Phasiacorum, & gallorum spadonum in sagina habitorum. Non defuisse autem illi Cocorum ad genium egregiè sapientium operam, ex his ipsius de se verbis apparet Eccles. 2. *Feci mihi cantores & cantrices, & delicias filiorum hominum, & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. Sapientia quoque perseuerauit mecum.* Quis autem fuit Salomo, si cum Catholico Rege nostro comparetur? *cuius potentia* (vt Iesuitæ dicunt in vita Ignatii) *ad INFINITVM maior est, quam fuit in mundo vllius Regis.* Iam nec Iesuitis asperum victum conuenire, hæc ipsorum verba satis vincunt, quæ Franciscanus ille in libro, de quo paulo prius dictum est, Cardinalibus recitat: *Necesse est Christi Ministros curare se molliter, partim vt melius se conseruare possint,* (ne scilicet sint oligochronii aut breuis æui) *partim vt homines ad se alliciant,* nec à se voluntates eorum alienent, vt Iohannes fecit cum scruposo victu & absurdo vestitu suo, quem propterea Pharisæi oderunt, Dœmoniumque habere insimularunt, *& fecerunt in eo quæcumque voluerunt,* (Matth. 17.) siue odium ei in Herodis regia capitisque discrimen conflarunt. quibus aliam Iesuitæ rationem in cumulum adiiciunt apud Baezam Tom. 7. cap. 7. li. 2. *Si ipsi sacco, cilicio, nuditate & fame se Dei ministros exhiberent,* (quod Paulus se fecisse gloriatur, aliosque similiter facere iubet, 2. Corinth. 6. & 11.) *sæpissime euenturum, vt Hypocrisis notam incurrant,*

Regem decet victus copiosus & lautus.

Cui necessarius est Cocus ad geniũ sapiens.

Iesuitis quoque lautior victus conuenit.

Vt se ipsos conseruent.

Et aliis ad se alliciant.

Ne odium hominum incurrant.

Neue Hypocritæ videãtur.

rant, nilque adeo proficiant. *Itaq́, ſatius eſſe, vt gladium verbi acutum calceis & pallio*, id eſt, habitu cum honeſtis hominibus communi, *obtegant*. Atque hæc ſcilicet eſt vna *nouarum inuentionum, quas Societas quotidie excogitat, vt homines ad Deum perducat*.

Iſta eſt vna nouarum inuentionū Ieſuiticarū.

Nam Apoſtoli, & poſt eos Monachi, qui totam ferè Europam à paganiſmo & hæreſi ad Chriſtum perduxerunt, *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudine, errantes in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ*, Heb. 11. Sed nimirum alia nunc ſunt tempora: alia ætas alios mores poſtulat. Scriptum eſt 1. Reg. 2. *Recedant vetera de ore veſtro*. Iſai. 43. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua*. Iſai. 65. *Non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor. Obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores*. Leuit. 26. *Vetera nouis ſuperuenientibus proijcietis*.

Quam Chriſtus & Apoſtoli ignorarunt.

Etſi autem iſtis locis omnibus non de moribus Chriſti teſtium agi manifeſtum eſt, quos Chriſtus *à diebus Iohannis vſque nunc violentos eſſe oportere* (id eſt duritiem & vitæ Iohannis aſperitatem ſemper exhibere) docet, *vt rapiant regnum cœlorum*: cui Chriſti præcepto ſe ac reliquos Apoſtolos paruiſſe Paulus ita prædicat 1. Corint. 4. *Vſque in hanc horam* (id eſt, inde à diebus Iohannis & à ſuſcepto Apoſtolatu) *eſurimus, ſitimus, nudi & inſtabiles ſumus, mūdi huius purgamenta ſumus*.

Qui externam corporis vexationem putarunt neceſſariam.

quod ipſum ab omnibus Chriſti miniſtris hoc modo exigit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: etſi denique Chriſtus *teſtes ſuos* etiam in nouiſſimis diebus *ſaccis amictos*, ſiue Iohannis & Eliæ viuendi modo conſpicuos fore prædixit, & Pſalm. 91. *teſtimonia Dei credibilia fieri dicuntur ob ſanctitudinem domus Dei in longitudine dierum*, hoc eſt, ob ſanctitatem non tantum à principio prædicationis Euangelicæ, ſed etiam omni tempore in Chriſti teſtibus apparentem, quoniam ſunt *lucernæ* no modò caritate intus *ardentes*, ſed foris etiam *lucentes*, vt non modò Deus, ſed etiam *homines videant opera eorum bona*, *& glorificent Deum* per fidem & pœnitentiam, Iohan. 5 Matth 5.

Sed Ieſuitæ præferunt internam mortificationem, cuius nox conſcia ſola eſt.

Ieſuitæ tamen velut noui generis Apoſtoli externam corporis vexationem, interna ſpiritus domitura & caſtigatione redimere ſe iactitant, neq; in eo Paulum morantur, quod de ſe ſcribit 1. Corint 9. *Ab omnibus abſtineo, & caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte dum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar*. Satis autem habere ſe ſignificant, quod Pater eorum videt in abſcondito, quanto cordis dolore ac gemitu, tantum *ad maiorem Dei gloriam*, cuticulam curent mollius, & in hoc ſaltem ſint Apoſtolici, quod hæc Apoſtoli verba longe rectius in ipſos, quam in Monachos ex formula viuentes conueniant Epheſ. 5. *Nemo vmquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam*.

Corpus autē nutriunt & fouent.

Itaque vt eadem opera cum Aulæ Regis, tum Societatis Collegiis conſultatur, & ad nutriendam ac fouendam nouo-

rum Apostolorum carnem aliquid afferatur adiumenti, idem ille Regis Consiliarius ad supra commemoratas Acroases vnam adhuc adiiciendam censuit in hunc modum.

Propterea decet eos profiteri artem Culinariam

Apicio de re Culinaria, en que se ha de le er el modo de guisar bien las comidas para los enfermos y ceun para los esto magos gentiles y delgados. P. Lorenzo Forer, Confessor, Consejero, Maestro de Casa y de Cozina, y de ancians del Consejo de Estodo del Obispo de Augusta, en las horas de recreacion d spues de comer.

Cum præsertim excellentem eius magistrum habeant P. Forerum.

Apicius de re Culinaria: in qua acroasi præcipietur modus recte condiendi cibos pro infirmis, atq; etiam pro stomachis gentilibus & delicatis. Acroasin hanc faciet P. Laurentius Forerus, Confessarius, Consiliarius, Oeconomus, Culinæ antistes & primus in Consilio status Episcopi Augustani, horis recreationis, postquam exemta fames epulis, mensæque remota.

CAPVT X.

Etsi fortassis hoc tantum eius talentũ ignorant.

Fieri potest, vt quantus vir sit Forerus, Socii eius nondum probe habeant cognitum, & in ipso quoque verum appareat, quod ille apud Comicum ait:

Vt summa sæpe ingenia in occulto latent?
Hic qualis Imperator nunc priuatus est?

Et tantum in altercando ac mentiendo eum putant excellere.

Non quidem dubito, quin ex Eristicis & contentiosis ac decretoriis nonnullis libris, quos tam in hæreticos, tam in Catholicos emisit, compertum satis habeant, eum de altercandi, conuiciandi, mentiendique palma nato nemini temere concedere oportere, adeoque ad conseruandam & ampl ficandam Societatis Monarchiam quantiuis pretii operam nauare posse. Hæc tamen quota laudum eius est particula? Lõge maiora sunt & ampliora, quæ de fœcundo Patris Forioli ingenio & pectore Societas sibi polliceri potest. Quis vmquam æque promeruit, vt hoc Spiritus Sancti elogio exornatus credatur? *Vir Belial fodit malum, & in labiis eius Ignis ardescit. Homo peruersus suscitat lites & verbosus separat Principes. Vir violentia seducit amicum suum, & facit eum ambulare per viam non bonam*, Prouer.16. Hic enimuero est vir Violentiæ, non quidem illius, *quam regnum cœlorum à diebus Iohannis vsque nunc perpetitur* (nam animæ suæ haud alius est suauior, nemoque carnem suam æque fouere ac nutrire cordi habet) sed eius, quam à condenda ac stabilienda Christi Monarchia longissime à futuram Isai.9. sic prædictum fuerat: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superabis, sicut in die Madian* (id est, Hæresis & impietas tamquam diaboli iugum, onus,

Præclarum de illo Spiritus Sancti Elogium.

Hæreses vincendæ sunt sicut Madianitæ.

virga

virga & sceptrum à collo & humero populi auferetur non violentia armorum carnalium, sed virtute diuina, sicut Madianitarum, iugum & virga ablatum fuit ab Israëlitis per Gedeonis milites non nisi buccinas in ore & lampades in manu habentes, quarum buccinarum sonitus & lampadum conspectus Madianitas ita perterruit, *vt mutua se cæde truncarent & fugerent* Iud 7. quo significatum fuit, Hæresibus non aliter finē allatum iri, quam per Verbi prædicationem & perfectissimam caritatem in manibus siue operibus lucentem, cum *Caritas sit fortis vt mors, & lampades eius lampades ignis atq; flammarum*, Cant. 8. Caritatis ergo tam fortis *ignem fugient Principes*, siue errorem magistri, *& gladio non hominis*, sed spiritus *cadet Assur, & conuertentur qui in profundum recesserant filij Israel*, Isai. 31. mutuisque dissidiis hæretici interibunt, etiamsi Catholici nullam in eos vim faciant, *quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis* (id est Catholici armorum violentia prædam Diabolo eripere siue Hæreticos conuertere, & quemadmodum in Hebræo est Psal. 72. *operti vestimento violentiæ, pallio zeli & vltionis vestibus induti*, Isai. 59. *panem egentium, qui vita pauperum est, defraudare*, siue Monasteriorum opes in alios vsus conuertere conentur, quod qui facit, *homo sanguinis est, sanguinemque effundit*, Eccl. 34. tum incendium excitabunt, & igni cibum, seu ciuili bello alimenta præbebunt) *Paruulus enim natus est nobis, cuius Principatus factus est super humerum* seu patientiam *eius*, id est, quia Christo Monarchia non nisi per patientiam conficitur, nec aliter forti armato seu Diabolo præda aufertur. *Melior* enim *est patiens viro forti* (Prouerb. 16.) id est, efficacior est Christi patientia, quam Diaboli potentia. Itaque *Christus per patientiam cucurrit propositum sibi certamen, & proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, Hebr. 12. Et Deus Diaboli spolia patientia eius in præmium sic promiserat Isai. 53. *Pro eo quod laborauit anima eius, & iniquitates multorum ipse portauit, ideo dispertiam ei plurimos; & fortium diuidet spolia.* quod ipsum non minus hodie facit, reliqua passionum suarum in ministrorum suorum carne implens, velut de se prædicat Paulus Colossi. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & in carne mea impleo ea, quæ desunt passionum Christi, pro corpore eius Ecclesia* 2. Timot. 2. *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur in Christo.* Ac propterea idem Paulus, *Patientiam signum Apostolatus* vocat 2. Corin. 12. & Dei seruis Patientiam præscribit, vt per eam alios aduersus hæresin præmuniant, alios iam deceptos ex diaboli captiuitate liberent, 2. Timot. 2. & 4. Sed Forerus iste tamquam *Vir Belial*, id est, sine iugo animique indomiti, cuius humerus oneri & collum iugo Christi minime subiicitur, Patientiam Apostolicam ignorat. Itaq;

Per homines verbo & perfecta caritate armatos.

Non per carnalia Principū arma.

Quibus non nisi bella ciuilia excitantur.

Christus diabolum vult vinci per patiētiam.

Quæ est signum Apostolatus.

Sed eam pessime Forerus odit.

Et mala omnia Germaniæ effodit.

fodit malum, inque Decreto Comitiorum Imperii, quo Religionis pax conuenerat, vna cum pari ac gemino germano suo P. Laimmanno aut Codmanno, seu stercoreo viro, & ad Forioli sui foricas appositissimo, multum ac diu scrutando eum tandem effodit sensum, de quo Catholicorum prius nemini facile in mentem venerat, per quem ius fasque esset Catholicis in diuersæ Religionis homines vim facere, & pœnis eos ad Ecclesiæ communionem vel reluctante conscientia compellere.

Principes inter se collisi.

Quod ergo amicus eius, qui animam ei tradiderat, *per viam non bonam ambulauit*, violentis eius consiliis auferri se passus, quod *separati* & interneciuo bello collisi *sunt* Germaniæ *Principes*, quod tantum in vniuerso Romano Imperio incendium exarsit, ab igne in labiis eius ardente

Et plus quã Troianum encendium excitauit.

id omne ortum fuisse rectè creditur. *Ecce quantulus ignis quam magnam siluam incendit? Et lingua* Foreri *ignis est, vniuersitas iniquitatis, quæ maculat totum corpus, inflammat rotam natiuitatis eius, inflammata à gehenna. In ipsa benedicit Deum, & in ipsa maledicit homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso eius ore procedit benedictio & maledictio, sicut ex eodem foramine dulcis aqua & amara.*

Lingua sua diabolica eundem hominem summis afficit laudibus.

Eundem certe hominem priuatis, quas ipse vidi, literis *virum* vocat *integerrimum & bonum Christi militem, cœlitus in Germaniam missum, vt rem Catholicam consiliis suis erigat & stabiliat, & aduersus Hæresin noua Tropæa statuat, sitque in intimis præcordiis & candidissimo pectore eum amare, & quo par est cultu tantum virum venerari & colere* testatur:

Et indignissimis consectatur conuiciis.

quem libris editis semidoctum, futilem, nullius pretii facileque omnium mortalium sacerrimum describit: qui tamen vir tantus Cimicis tam

A quo tamẽ velut Cimex merito contemnitur.

fœtidi contactu digitos inquinare merito aspernatur, rationem habens non quid illum audire oporteat, sed quid se dicere dignum sit. *In tauros Lybici ruunt leones, Non sunt papilionibus molesti.* Multum ratio fugit Carduum Libani, si Cedro Libani persuasurum se putat, vt filio suo filia eius vxor detur, ipse mox à bestiis transeuntibus conculcandus, 2. Paral 25.

Forerus faces turbis ministrat.

Interim pro illo ab Apostolo sibi Forerus responsum putet: *Si Zelum amarum habes & contentiones in corde tuo, noli gloriari & mendax esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica,* Iacob. 3. Vidi etiam literas, quas ad quendam Cæsaris Consiliarium dedit, quibus animos Cæsarianorum inflammare conatur, *Heldi animos* iubens *eos induere*: qui velut ex Scioppii *Heldo rediuiuo* apparet, Carolo Quinto auctor fuerat ferro, igne

Scioppius semper fidei Protestantibus seruan-

ac laqueo in Protestantium Principes vindicandi, etsi Scioppius in eius libri præfatione, sicut etiam in *Ecclesiastico aduersus Angliæ Regem*, perspicuè monet ac denunciat, fidem Protestantibus datam seruari oportere, nec impune Catholicis futurum, si eam virium suarum fiducia deserant,

ferant, & Proteſtantes per vim ad fidem compulſos velint: tantum eos hortatur, ne nouam tranſactionem Paſſiuienſi ſimilem extorqueri ſibi patiantur, ſed tuendæ pacis veteris formulæ fortunas omnes ſanguinemque ipſum Deo freti impendant: qui etiam in *Scaligero Hypobolimæo*, ac multo prius *in libello ad Pontificem Clementem Octauum* qui typis deſcriptus exiit, operosè docuerat, Hæreticos & qui eis credunt, non eodem omnes ordine habendos eſſe, nec ſine peccato Proteſtantes indiſcriminatim hæreticos appellari poſſe, cum multi eorum ſint honeſti, religioſi & innocentes, qui ſimpliciter bonoque animo errent, nec alicuius boni temporalis cauſa in errore pertendant, Eccleſiæ præceptis obedire paratiſſimi, ſi per conſcientiam eorum infirmam id eis facere liceret, & bene ſecuturi, ſi Paſtores ante eos vadant, & exemplo ad veritatem & ſalutem duces ſe præbeant. Probat quidem S. Auguſtini ſententiam & Eccleſiæ conſuetudinem *in errore ſecuros ac negligentes terrendi ac docendi, & vt intrent compellendi*, dum tamen videant Ducem, quem ſequantur, & doctrina non ſit *inanis, nec in ſermone tantum, ſed in virtute, & in Spiritu ſancto & in plenitudine multa*, 1. Theſſ. 1. & 2. ſiue *in oſtentatione ſpiritus & virtutis*, 1. Corinth. 2. adeoque Pontificem monet, magnæ cautionis eſſe, ne in fide errantibus terroris adhibeatur medicina impedimentis prius non remotis, qualia eſſe dicit, vitioſiſſimos & deprauatiſſimos Cleri mores: qui niſi prius emendati ſint, detrimentum ingens ad Imperium Romanum ex violentia erga Proteſtantes redundaturum conteſtatur. Atque iſta iam ab annis plus triginta fuerunt Scioppii conſilia, quæ illum Clementi Octauo probauiſſe, eoque nomine ab ipſo & primariis quibuſdam Cardinalibus gratiæ non minimum iniiſſe publicæ priuatæque tabulæ fidem faciunt, quæ in *Amphotidum* libro leguntur. Sed ad Forerum redeo, cuius etiam *Conſultationem* vidi in Regiam Cæſaris ab eo miſſam, qua Cæſari auctor eſt, *vt ius patrocinij ſiue Aduocatiam in multas Eccleſias ac Monaſteria Electoribus Saxoni & Brandemburgico ereptum aliis largiatur, vt Brandemburgico eligendi Imperatoris ius abroget, ne Palatino niſi religione ſua ejerata vnquam ignoſcat, ne Regem Romanorum de ſeruanda Religionis pace iureiurando adigi permittat.* Tanta denique fuit Incendiarii iſtius violentia, vt Cæſar eius tandem pertæſus Confeſſario ſuo interdixerit, ne vllas eius literas in poſterum ſibi recitaret, ſed ſuas ſibi res habere eum iuberet.

da ac pacis auctor fuit.

Proteſtantes indifferẽter pro hæreticis habendos nõ eſſe docuit.

Voluit quidem errantes compelli intrare.

Impedimentis tamen prius remotis.

Aliter id teſtatus eſt fore reipub. funeſtum.

Eius ſententiam Papa & Cardinales quidã probarunt.

Forerus Cæſari violentia in Proteſtantes auctor fuit.

Suaque importunitate Cæſari bilẽ mouit.

CA-

CAPVT XI.

Seruos Dei decet proximorum scandala diligẽtissime cauere. Famamque bonam sibi conseruare.

AD ista eius basilica accedit ingens animus in contemnenda quantumuis iusta infamia, excutiendoque strenuo scrupulo, alienæ offensæ siue scandali occasione iniecto. Monet quidem Paulus, Dei seruo curandum, *vt sit irreprehensibilis, vt qui ex aduerso est*, siue Hæreticus, *vereatur nihil habens malum dicere de illo* (Tit. 2.) *vtque prouideat bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (2. Cor. 8. Rom. 12.) iubet *ab omni mala specie se abstinere* (1. Thess. 5.) *nemini vllum dare offendiculum, ne* ipsum Ecclesiæ *ministerium vituperetur* (2. Cor. 6.) iubet *quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus* (bene agendi) *si qua laus* (bene audiendi) *hæc cogitare*. Sic enim *Deum pacis fore cum suo ministro*, vt nempe *inimicos quoque eius conuertat ad pacem* (Prouerb. 16.) sicq; exemplo eius comprobetur sententia illa Prouerb. 15. *Fama bona impinguat ossa*, id est, hominis virtutem corroborat, vt consiliis & verbis eius tanto amplius sit virium: suo denique Paulus exemplo docet potius carnibus in omnem vitam abstinere, quam earum esitatione cuiusquã infirmam conscientiam ad peccandum ædificare, aut quouis modo scandalum cuiquam obiicere, vt ille siue exemplo inuitatus comedat, quod per errorem manducare nefas esse credit, siue male de comedente cogitans, eumque iudicans, aut etiam odio habens, caritatis legem migret, seque letalis culpæ alliget. 1. Corinth. 8. *Videte, ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Non enim in omnibus est scientia* (vt sciant, idolothyta, seu carnes, quas Gentiles idolis sacrificarunt, à Christianis sine peccato comedi posse.) *Si quis* ergo sic infirmus in fide *viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur* siue incitabitur *ad manducandum idolothyta?* (fortassis enim cum illo edet, ne ægre illi faciat, etsi se manducando peccare putat) *Et peribit infirmus frater per tuam scientiam propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Et Rom. 14. *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda* (& à Christianis sine peccato esitari possunt) *sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur*,

Quæ potentissimum est medium homines Christo lucrandi.

Propterea etiam à licitis abstinendum est.

Ne licitorũ vsu infirmi scãdalizentur.

Aliter contra caritatẽ peccatur.

dalizatur, aut infirmatur. Sed Forero nec scandali, nec infamiæ metus quicquam facessit negotii. *Nihili rumorem facit, dum sit Rumen qui impleat,* impendioque magis ei placet Saturionis Comici philosophia, quem cum filia monuisset cauere, *ne ad paupertatem eius admigraret Infamia,* quod non perinde vt filia, inimici famam ferant, *Ferant,* respondet ille, *eantque in maximam malam crucem. Non ego inimicitias omnes pluris facio, quam si nunc mensa inanis apponatur mihi.* Itaque noster hic Saturio plus Famis, quam Famæ metuens, & communem cum Collegis victum velut minus lautum aut non satis copiosum fastidiens occultum sibi commeatum ex Collegio in Aulam Principis sui faciendum curauit, vt quotiescumque ei libuerit, foris prandere & cænitare, atque etiam abnoctare, carnibusque electissimis per omnes esuriales aut pisculentos totius anni ferias profundum ventrem suum implere, meroque vetustate edentulo ætatem irrigare panticesque madefacere possit. Etsi autem Aulæ familiares, aliosque exinde plurimos non mediocriter ex eo offendi & scandalizari intelligit, ita vt passim de illo eiusque causa de omni Societate in sermonibus detrahant ac murmurent, vel Ecclesiæ legem de abstinentia & ieiunio contemnant, neque quemquam ea teneri sentiant, vel quod peccatum tamen putant id Religiosi hominis & Theologi exemplo committere non dubitent, & vno quouis modorũ istorum pereant fratres, propter quos Christus est mortuus: ipse tamen hac vna re scandalo eorum satis prouisum cautumque putat, si Ventriculum plus æquo frigidum sibi causetur contigisse, quem cibo potuque foueri & calefieri oporteat. Cum enim Pharmacopæus ante fuerit, quam Societati nomen dedisset, eaque occasione arti Medicinæ plusculum studii impenderit, atque etiamnum longè ad curam corporis tuendamque sanitatem sese attentiorem præbeat, quam in eo ferendum videatur, qui mundo & carni mortuus Apostoli verbis profiteri de se debeat, *Mihi viuere Christus est, mori lucrum: dissolui & esse cum Christo, multo magis melius,* Phil. 1. minime temerariam hominibus suspicionem mouet, se diabolo in Medica acroasi dare operam solere: *Ecce diabolus Physicam docet, ecce Medicus factus est, de complexionibus loquitur, infirmitates diuersas si teneatur Religio* (& secundum Regulam ieiunia & abstinentia obseruentur) *generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit sed vt occidere possit. Videt ex subtractione ciborum Luxuriæ vires posse minui, Ideo non tardat minari ægritudines,* ait Hugo de claustro animæ cap. 2. At enim Iesuitæ Patris sui Ignatii exemplo docentur Medici imperio non minus, quã Dei mandato, magis etiam, quam Ecclesiæ præcepto obedire. Ille enim cum ipsa sexta feria maioris hebdomadæ, siue die Veneris septimanæ

Forerus nec infamiam nec scandalum quicquã curat.

Modo Ventrem suum molliter curare possit.

Cuius causa Aulas sectatur.

Contraque Ecclesiæ interdictum carnibus vescitur

Etiamsi plurimi eo scãdalizentur.

Et de tota Societate detrahant.

Atque etiã exemplo eius peccent.

Frigida eius excusatio.

Plus studet corporis, quã animæ sanitati.

Quia diabolo Medicinã profitenti se in disciplinã dedit.

sanctæ, pulli gallinacei manducatione ventri consulere à Medico iussus fuisset, mori præoptasset, quam contumacem erga Medicum inueniri, cœcæque obedientiæ votum non optima fide exsoluere. *Obediendum est,* ajebat, velut in vita eius Maphæus auctor est. quo præcepto omnes Iesuitas Medici vocem, supremam legem putare docuit. Si ergo Forerus diabolo vtitur medico & medicinæ magistro, minime difficulter sibi ab eo Dauidis exemplum ad imitandum proponi persuaderique patietur, quod 3. Reg. 1. sic narratur: *Rex Dauid senuerat, cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei serui sui: Quæramus Regi adolescentulam virginem, quæ foueat eum, dormiatque in sinu suo & calefaciat Regem. Et inuenerunt Abysag Sunamitiden, adolescentulam speciosam & pulchram nimis, dormiebatque cum Rege, & ministrabat ei, Rex verò non cognouit eam.* Sed quoniam nec in Collegio, nec in Aula eiusmodi remedii adhibendi datur commoditas, facile Medicorum ei sententiam Magister suus probauerit, egelidum corpus & stomachum Pueri, quam Puellæ calore efficacius foueri, nec eius fomenti copiam in Aula ei deesse posse, in qua præsertim ipse sit Ta panta, ac simul digitis increpuerit, omnes aulæ familiares nutui paratos habeat, & ad Regis sui ministerium, præcipue cubicularium, quoscumque ipsi libuit pueros admittat: qui etiam grabatum ei sternere, vtque satis ei fultum sit curæ habere, atque in priuato conclaui cænitanti cyathistare solent. quod cum ipse & alii non sine suspicione narrantem audissemus, Traiani Imperatoris optimi in mentem mihi venit, quem Historicus in pueriles quidem amores proniorem fuisse agnoscit, hac tamen excusatione culpæ eximi putat, quod nulli puero vel adolescenti per vim illuserit, sed non nisi voluntarios amores exercuerit. Sed Cardinalis Baronius eam oppido frigidam perditamque excusationem iudicans, *Quis*, inquit, *negaret imperatori?* quippe penes quem spei metusque causæ inueniantur, quibus eius quod collibuerit obtinendi facultas continetur.

Qui discipulos docet ventriculũ fouere complexu puellarum.

Vel potius puerorum.

Quorum in Aula Forerus copiam habet.

Cum ipse in eam pueros admittat, velut eorũ Admissarius.

Quorum nemo facile ei negauerit saltem Cardinalis Baronij iudicio.

Caput XII.

VOluntatis porrò in Forero satis magnum videtur argumentum eius Cupedia siue Gula, quam vocant, illud libidinis seminarium. Si enim vlla apud nos, vt esse debet, Sanctorum Patrum est auctoritas, qui non modò nulla prorsus ieiunia voluntate sua suscipit, sed etiam incerto ac fortassis ementito ventriculi refrigerati prætextu Ecclesiæ præcepto

Forerus nequam facere non modo potest, sed velle etiam merito creditur.

cepto imperata soluit ieiunia, & quotidie se replet Carnibus, potu quoque meri exotici & ab extremis vsque Gadibus magna impensa aduecti venas inflare gaudet, nec eum qua Catholicorum, qua Protestantium quicquam mouet scandalum, cum sine vllo peccati metu cuiuscumque nequitiæ & libidinis, cuius ei copiam suppetere apparet, suspectum habere possis. Si placet, hac de re S. Hieronymus audiatur, cuius verba sunt: *Esus carnium & potus vini, ventrisq; saturitas, seminarium est libidinis*: ac propterea *nos* (Religiosi) *quorum conuersatio in cœlis est, repugnantem carnem, & ad libidinum incentiua rapientem inedia subiugamus. Illi arbitrantur Carnes sanitati congruas qui volunt abuti libidine, & in cœnum demersi voluptatum ad coitum semper exæstuant*, & puellas quidem ac mulieres, si sint, non aspernantur (quod sexum à Deo creatum iniuria afficere & contemnere sit religio) sin earum de fiat copia, *vnum quod rebus restat egenis*, Horatiano vtuntur consilio *de impetu in vernam faciendo*, vt rumpendi effugiant periculum, nec surdis auribus illud Apostoli Foreri magister instillat: *In Christo non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vnũ estis*. Iterum Hieronymus: *Si quis existimat & abundantia ciborum potionumque se perfrui, & vacare posse sapientia, hoc est, & versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit, frustraque quidam SIMVLANT, salua fide & pudicitia & integritate mentis se abuti voluptatibus, cum contra naturam sit, copiis voluptatũ sine voluptate perfrui. Quid necesse est nos IACTARE pudicitiam, quæ si e comitibus & appendiciis his continentia & parcitate fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipse non seruet: & Adolescentula feruente cibis corpore de castitate secura est?* Et Forerus Iberico vino venas inflatus ac stomacho sagina nauiter cędenda distento ne Vena eius tenta aliquo subire gestiat securus est? *Cum totum illud domicilium interioris hominis escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis iam stercoribus æstuans, præmeditaterium efficitur* Foricarum seu *latronarum*, si Tertulliano credimus, *nihil tam in proximo superest, quam ad lasciuiam sapere*, nec magis Forire, quam Forare velle. Similiter S. Augustinus: *Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis. nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Quanti & quales* Episcopi & *Clerici post confessionem & victoriarum calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse*, (siue in fornicationis, adulterii aut Sodomiæ peccatum lapsi esse) *cum volunt in naui fragili nauigare?* (siue peccandi occasionem non effugere) *quantos Leones domuit luxuria, quæ cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. Quot columnæ cœli ceciderunt, sanctissimi illi Erimitæ, multorum annorum experientia probati, in solitudinibus morantes, ætate prouecti, immo & miraculis*

Cum in corpore habeat libidinis seminarium.

Cumq; tam nulla ei de scandalo cura sit.

S. Hieronymi de Foreri libidinibus iudicium.

Putat castitatem ab eo simulari.

Quod ipsum S. Augustino videtur.

Quem experientia id docuit.

coruſcantes: Et tamen eos de faſtigio conuerſationis cœleſtis mulieres detur barunt. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior. Cedros Libani, Duces gregum (id eſt, Epiſcopos, quos virtus exaltauerat) *ſub hac peſte cecidiſſe reperi: de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam de Ambroſii, vel Hieronymi impudica turpitudine.* Et S. Gregorius Magnus: *Plerique certaminis ordinem ignorantes Gulam edomare negligunt, & cætera vitia expugnare nituntur. Sed dum venter non reſtringitur, ſimul cuncta virtutes per carnis concupiſcentiam obruuntur. Hinc eſt, quod non alius quilibet, ſed Princeps Coquorum* (Foreri geminus germanus) *muros Hieruſalem deſtruxit* (Nabuzardan puta, qui in Græco dicitur Princeps coquorum, 4. Reg. 25.) *quia Venter dum non reſtringitur, virtutes animæ perdit*, hominemque minime aptum facit regno cœlorum, quod non niſi ab iis rapitur, qui in Ventrem vtuntur violentia. Sanctus denique Bernardus: *Abſtinebo à vino, quia in vino luxuria eſt: aut ſi infirmus ſum, modico vtar. Abſtinebo & à Carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem quoque ipſum cum menſura ſumere ſtudebo, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat.* Iſti ergo Sancti Patres, ſicut & alii (quorum verba afferre longum ſit) non modò Forerum à plurimis Cupediæ, voracitatis & vinoſitatis eius conſciis in nefariæ libidinis ſuſpicionem vocari & *Foratorem aut Inforatorem* cenſeri non nollent, ſed neque S. Carol. Borromæi Confeſſarium Ieſuitam crimine abſoluerent, qui commiſerit, vt eum puer cubicularius ipſius Caroli nequam ſecum feciſſe inſimulare auderet, quiq; crimen peſſimum in eum conferenti crederent, inuenturum ſe ſperaret, velut in quadam Diui vita Mediolani edita legitur. Nam vel ſuſpicioni in homine Religioſo locum dari culpa haudquaquam vacat. Sic enim debet virtus eius lucere, vt qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil habens malum de illo dicere. *Fruſtra iraſcitur obtrectatori, ſi ei obtrectandi materiam miniſtret. Beatus, qui tam ſanctè tamq; grauiter diſpoſuit vitam ſuam, vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit, dum aduerſus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo: nec fingere quiſquam auſus eſt, quod à nullo putat credendum eſſe*, ait S. Hieronymus epiſt. 4. qui etiam Ieſuitas ſuo de ſe iudicio contentos, & alienæ exiſtimationis contemtores authadian arrogantiamq; ſuam hoc modo dedocet: *Caueto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingetur, ante deuita. Quod ſi dixeris, Mihi ſufficit conſcientia mea: habeo Deum iudicem, qui meæ vitæ teſtis eſt: non curo, quid loquantur homines: Audi Apoſtolum, Prouideamus bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Pari modo S. Bernardus: *Eſto, ſis continens: ſed ego ſuſpicione non careo. Tolle ſcandali cauſam.* Sed Caroli Confeſſarium neque ipſius Sancti vita, neque iſta aliorum Sanctorum monita mouere potuerunt, vt ne male de ſe

Eadem S. Gregorii eſt ſententia.

Et S. Bernardi.

Ieſuita S. Caroli Confeſſarius Sodomiticæ libidinis inſimulatus.

Cuius ſuſpicioni locũ Ieſuita daro non deberẽt

Sed tollere omnem de ſe ſuſpicandi anſam.

cogitandi

cogitandi ac loquendi ansæ aliquid relinqueret: quoniam videlicet ipsum Societatis institutum non eadem, qua aliorum Ordinum, aduersus suspiciones cautione ac prouisione munitum esse, multaque sociis licere constat, quæ nec ipsos à peccandi occasione, nec alios à suspicandi causa prohibeant.

CAPVT XIII.

Mendax Iesuitarum gloriatio de S Carolo. Quem sua opera Sanctũ euasisse iactitant.

ET tamen tam proiecta ad inaniter de se gloriandum mentiendumque Iesuitarum est audacia, vt in libello de Zelo Ignatii Madriti edito fol. 28. non dubitent scribere: *Inter fructus Societatis non illi tantum numerandi sunt, quos ipsa per se facit, sed etiam quos alij faciunt per Societatis occasionem, industriam aut exemplum: quales sunt, quos in S. Carolo fecit Pater Iohannes Baptista Ribera Hispanus.* Hoc enimuero est *in immensum gloriari in alienis laboribus*, vt faciebant *Pseudoapostoli, operarij subdoli, ministri Satanæ, transfigurantes se in Apostolos Christi*, 2. Corinth. 10. & 11. Quid prodest tandem Origeni, quod ex schola eius velut ex Equo Troiano meri Principes prodiere? *Quis vmquam felicior discipulis? nempe innumeri ex sinu suo Doctores innumeri Sacerdotes, Confessores & Martyres exstiterunt*, ait Lirimēsis Vincentius. Non dissimiliter Collegii Cocus nobis gloriabitur, quicquid Iesuitæ in eo faciunt boni erga Deum & proximos, eius sibi gratiam deberi, qui escas eis præpararit & suauitate sic condiuerit, vt iis esitandis vitam producere & operam nauare possent. Sed quam vanum esset, quod de S. Carolo iactitant, ex ipsa Ordinis sui Historia probe cognitum habebant. Sic enim ibi narratur part. 2. lib. 8. numer 12. *Cardinalis Carolus Borromæus siue aliorum suasu, cum quibus multum agebat, siue sua sponte, aut diuino instinctu ad perfectißima quaque euolans magis, quam gradiens, in longe austeriorem, quam vel Pater Ribera, vel quispiam de Societate auctor fuisset, sese disciplinam immisit. Oblectamenta quadam honesta suoque consentanea loco laxamenta abdicare: non ad exercendum auramque captandam egredi: raro apparere in publico: totos dies inter literarum ac pietatis latere studia: de adstringenda quin etiam rigidius domestica disciplina mensaque: de eleemosynis large distribuendis: nonnullis item, quibus oneratus sibi videbatur, ponendis vectigalibus, deque profectione ad Archiepiscopatus sui sedem agere. Eas res perpauci tum probare: plures ægræ mentis tristitiam, ignauiam, insaniam vocare. In summa Pontifici persuadent, Nepotem ipsius, ac præcipuum in sustinendo terrarum pondere adiutorem, & vnicum agendarum rerum administrum, eneruatũ ab Iesuitis, infatuatum, de mente deiectũ:*

Sed in eo per impudenter mētiuntur. Cum ipsa Societatis historia contrarium testetur.

Iesuitæ S. Carolũ quotidie à san-

ctitatis exercitio auocarunt.

cum REVERA *Patres* (Iesuitæ) *non nisi moderatiora* QVOTIDIE *inculcarent.* Hæc Iesuitarum narratio trium nos rerum facit certiores, quæ diligentem merentur obseruationem. Primum est, magnam Iesuitis iniuriam facere, qui eos Cardinalibus, præcipueque Pontificum Nepotibus, seu fratrum ac sororum filiis, quicquam suadere putat, quod illa dignum sit perfectione, qua Cardinales ipsis etiam Episcopis præstare oportet. Nullum est periculum, ne illis auctores sint, vt quicquam oblectamentorum prætermittant, vt inter pietatis & literarum studia dies totos lateant, vt mensam omnemque domesticam disciplinam adstringant, vt eleemosynas largè distribuant, vt redituum Ecclesiasticorum parte se exonerent, vt valere iussis Romanis deliciis ad greges suos visendos, & coram verbo, exemplo & eleemosynis pascendos, se recipiant. Moderatiora sunt multo, quæ Patres isti quotidie inculcant. Itaque si Carolus Iesuitarum monitis obtemperasset, fortasse nunc cum plurimis Pontificum Nepotibus in diuitis Epulonis sinu apricaretur,

Non est periculum, ne Pontificum Nepotes aliquid boni à Iesuitis discant.

Aut saltem clausus tenebris & carcere cæco
Exerceretur pœnis, aut gurgite vasto
Infectum elueret scelus, aut exureret igni.

Iesuitæ dubitant, vtrū sanctitatis consilia Deus Carolo inspirauerit

Alterum est, Iesuitas valde animi incertos esse ac dubitare, num perfectioris vitæ & sanctitatis consilia & studia à Deo inspirentur, an ea homines ex se ipsis, aut saltem aliorum hominum opera, cogitēt & suscipiant: cum tamen inter fidei capita sit, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse, descendens à patre luminum,* Iacob. I. *Non esse nos sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientiam nostram ex Deo esse, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate* Phil. 3. quod quidem nec ipsi Gentiles dubium habuerunt, cum ita sit apud Tullium 2. de Natur. Deor. *Nemo vir magnus sine afflatu aliquo diuino vmquam fuit. Neminem singularem virum, nisi iuuante Deo, talem fuisse credendum est.* Et apud Senecam: *Bonus vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magnifica & erecta. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in mediis tempestatibus placidum: non subibit te veneratio eius? non dices? Ista res maior est altiorque, quam vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit* (id est maior quam humana) *Vis istuc diuina descendit. Animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quicquid timemus optamusq; ridentem, cœlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo Numinis stare.* Adhuc tamen Iesuitæ incerti certant, hominumne suasu Carolus, an sua sponte, an verò instinctu diuino ad perfectissima euolauerit. Tertium est, Iesuitas nimis improbe nunc postulare, vt in partem sanctitatis & meritorum Caroli veniant, cum

In quo magis impii sunt quam gentiles.

S. Carolus nihil prorsus Iesuitis debuit.

tam multis ante annis aperte tulerint, sui Ordinis homines vltro etiam sanctitatis & perfectionis impedimenta ei monitis suis quotidianis obiecisse.

CAPVT XIV.

FOrtassis autem Forerus Inforationis à se suspicionem amoliens, fidemque & auctoritatem sanctissimis viris Hieronymo, Augustino, Gregorio & Bernardo abrogans Societatis suæ iactabit priuilegia, & gratiam à Christo multo ampliorem sibi ac sociis contingere gloriabitur, quam sanctissimis illis Eremitis, miraculorum gloria coruscantibus, quam cedris Libani, quam cœli columnis, quam gregum Ducibus, Episcopis & Clericis, quos illi testantur in carnis peccata occasione corruptos cecidisse. Vulgo certè hoc Iesuitæ faciunt, vt cum in Societatem pueros alliciunt, hoc meliorem Societatis, quam aliorum Ordinũ conditionem esse prædicent, quod Ignatius à Deo precibus obtinuerit, vt per centum annos inde ab eo die, quo nomothesiam eius siue Regulam Sedes Apostolica probauit, nemo Sociorum in letale peccatum incidere queat, adeoque nihil ei quantumuis Saturo, nitido, beneque curato ab humanæ satietatis tentatione sit periculi: cuius gratiæ ac priuilegii prorogationem Xauerium in alios ducentos annos à Deo Societati impetrasse, ab hinc triennium Iesuitæ in Alsatia plenis buccis gloriabãtur. Quo minus autem apud pueros & adolescentes rerum imperitos eos talia quis iactare admiretur, ipsi Friderico Borromæo Cardinali non dubitarunt tali se priuilegio venditare, cum dicerent, Deum sibi seruientibus necessaria minime negare, sed *affluenter dare habenti, vt abundet*. Habere autem se gratiam Voti, qua se ad alienam salutem procurandam obstrinxerunt, velut 1. Reg. 2. scriptum est: *Dat votum vouenti, & pedes sanctorum suorum seruabit*. id est, quibus gratiam dedit vt vouerent, iisdem gratiam dabit, vt votum bona fide exsoluant, nec eos permittet cadere ipsius causa per vniuersum orbem circumcursantes, omniumque se hominum consuetudini implicantes. Itaque necessaria Iesuitis est gratia, vt nihil fœminarum forma, nihil puerorum & epheborum specie commoueantur, nec inde natura obscenius ipsis excitata singultiat, magisque tentio, quam tentatio subantes & insolenter æstuantes derumpat. Sed hac sua gloriatione non modò Borromæo nõ persuaserunt, verum etiam ita eum sibi alienarunt, vt in posterum nec visos, nec auditos vellet, quemadmodum familiaribus & amicis nõ semel

fassus

Iesuita iactant se habere priuilegium castitatis.

Eoq; mendacio multos in Societatẽ pelliciunt.

Ipsi Borromæo Cardinali hoc persuadere conati sunt.

Sed ea re grauissime illum offenderunt.

fassus est, sicut etiam Seminariorum suorum Clericos tandem scholis eorum interdixit, quod verbis negaret se posse exprimere nefaria illa, quæ in Braidensis Collegii eorum scholis perpetrari comperisset, quorum causa, si in sua foret manu, omnibus omnino scholis eos se prohibiturum affirmabat, quod me ex ipsomet audisse Deum mihi te stem iudicemque adiuro. Nec tamen vlla eis est religio in libris Madriti, Dillingæ, Monachii alibique editis tam magnifice gloriari, vt *multo se maiorem, quam Monachos à Deo gratiam mereri & in se ipsis experiri* dicant. quod facile mihi persuadebunt, si quos ipsi proximorum causa labores capiunt, aut maiores, aut proximis vtiliores, aut Deo gratiores esse docuerint, quam quos cepit Paulus Apostolus, & illæ cedri Libani, illæ cœli columnæ, illi gregum Duces Episcopi & Clerici, quos continentiæ gratiam non aliter quam corporis sui castigatione, inedia, siccitate, vigiliis, nuditate, frigore, assiduaque verborum & operum diuinorum meditatione à Deo impetrasse ac tutatos esse constat. Et quæ tandem res securitatem Forero præstare potest, ne quod ante aliis Iesuitis Aululariis Principumque parasitis, idem ipsi similiter vsuueniat? *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei*, ait Deus populo Hierosolymitano *confidenti sibi in sermonibus mendacij*, vt alieni casus exemplo metum in se conciperet Ierem. 7. Pari modo Forerus sibi dictum putare potest: *Noli altum sapere, sed time. Si te stare existimas, vide ne cadas.* Abi Neoburgum proximæ viciniæ, & vide quid ibi fecerim gemino germano tuo Iacobo Reihingio, qui non minus, quam tu, Pater patratus & quarto Societatis voto illigatus fuit. Hic cum in Aula adspectaretur, omnesq; ob os eius ora obuerterent sua, non minus ingenii & doctrinæ vim atque eloquentiam in eo suspicientes, quã beneuolentiam hominis apud Principem gratiosissimi ambientes, ipse superfluentibus se bonis saginatum, nullo tamen genere meliorem se ipso factum animaduertens Prouincialem Societatis Præsidem ab Aula missionem & in Collegium aliquod receptum poposcit. Ille autem Societatis interesse existimans, vt ad latus Principi hæreret, eiusque in societatem prothymiam ac prolixum animi affectum aleret. Stationem minime deserere eum voluit. Mansit ergo in Aula tamquam *in terra deserta & inuia & inaquosa* longe à fontibus Saluatoris, donec ei contigit illud Isai. 50. *Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.* Quadam certe die qui derepente necopinanti superuenerant, Venerabilem Patrem venerabundum & patrantem, ac velut Sacerdotem vna cum Camillo suo SACRA DIIS MANIBVS facientem inuenerunt. Exinde nec muliebres aspernatus amores tandem non à Societate tantum, sed

Ei in votis erat Iesuitas ex omnibus scholis eiicere.

Forerum terrere debet exemplũ Reihingii.

Quem Aula deprauauit.

tum, sed prorsus etiam ab Ecclesia defecit, & malus male periit: velut mihi primarius quidam Cardinalis ab ipsis Iesuitis acceptum retulit.

Post muliebri amore corruptus ab Ecclesia deficeret.

CAPVT XV.

ALiud Iesuitæ Aulici exemplum ab Episcopo quodam, magni Principis Legato, accepi, qui rem verissimam esse Deum omnesq; cœlites persanctè dejerabat, etsi etiam iniuratus vel propter virtutis opinionem, vel ob gratiæ locum, quem apud Principem illum tenebat, omnem oratione sua fidem merebatur. Nicolaus nempe Copreuicius cũ Gretii esset in Iesuitarum Collegio (vnde velut mihi ab illustri viro fides facta est, quatuor in Aulam commeatus sunt, eorumque vnus subterraneus) virginibus Aulæ Archiducis Caroli familiaribus tam familiariter vsus fuerat, vt tandem vna ex compressu illius vterum ferre inuenta fuerit. quæ res omnem illam Aulam mirè solicitam habuit, vt tantum dedecus occultari posset, ne si enunciatum ad hæreticos promanasset, non modo Gynecæi illius pudorem sugillaret, sed etiam omne Iesuitarum nomen ludum omnibus iocumque faceret. Hic enimuero re patuit, quem pietatis suæ fructum ferant Copreuitii, seu Vitia sua cooperientes, qui totos se Lauernæ cultui dediderunt, ac Beatissimam Dei genitricem Angelica salutatione affari se simulantes.

Similiter exemplum Patris Copreuitii.

Qui virginem in aula Gratiensi vitiauit.

Etsi dedecus illud fuit occultatum.

Labra mouent, tacitique orant sibi: Sancta Lauerna,
Da mihi fallere, da iustum sanctumq; videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

Quantus verò id genus Lauernionum & Copreuitiorum in Societate sit numerus, ex Iohannis Marianæ, summi viri, libro de Morbis Societatis eorumque remediis intelligi potest, cuius cap. 14. ista legimus: *Totum Societatis regimen hunc habere videtur scopum, vt quæ improbè in Societate fiunt, iniecta terra cooperiantur & hominum notitia subtrahantur.* Nihil ergo iam mirandum est, istum Patrem Copreuitium non modò *Vasa salua retulisse* (quod haud ferè *manifesto mœchi solent*) sed etiam tantum adhuc in Aula gratiæ tenuisse, vt anno 1598. per Hispaniæ Reginã Ferrariæ à Clemente VIII. Lubianæ Episcopatum Thomæ Cremio obtinuerit. Is quippe quotannis tria florenorum millia Iesuitis depensurum se receperat, si sibi Episcopatum illum *per secretam*, quam vocant, *expeditionis viam* conficerent, quæ quasi gratuita est & immunis ab onere soluendæ Annatæ, seu fructuum vnius anni, quos Episcopatus reddere solet. Quo postea potitus Copreuitium, gumiam, lurconem & comedonem strenuum, quotidianum fere hospitem & coëpulonem habuit, qui ab domi-

Magnus Copreuitiorum in Societate numerus.

Iesuitæ pecuniis acceptis ambiẽti Episcopatũ suffragãtur.

Coprouitius Episcopi parasitus.

abdominis cura minime Forero dispar Sanctę Saturitati religiose semper litabat,

Lepidum exemplum Aspergilli Iesuitici.

ita vt quadam die sumta in ventrem confidentia & plus solito madens cum à prandio Episcopi sororem cum aliis matronis ac puellis, quæ ex vicinia ad eam confluxerant, sub diu in vmbra partim nendo, partim pensum exercēdo Mineruæ operantes inuenisset, exserto à summis feminibus peculio eas ordine permeieret, simul illa Psalmi verba, quæ in Ecclesiis Sacerdoti aqua lustrali homines circumferenti solent occentari, alta voce decantans, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Ita quæ Dauidi Pœnitentia ex imo pectore eruerat, ea Satyri huius aut olentis capri Penitentio ad ludibrium conuertere nihil timuit.

Omnes Christi amicos decet fermētum Iesuitarum circūscribere.

De similibus *Hyssopis* vel *Aspergillis* Iesuiticis historiarum affatim habeo, quibus alius forte dabitur narrandi locus, vt *Pharisæorum* istorum *fermentum* circumscribatur, ne totam populi Christiani massam Hypocrisi sua corrumpant, *neque quicquam opertum sit, vt non reueletur: nec tam absconditum, vt non sciatur*: quam aduersus illud curam & prouisionem omnibus *amicis suis* Christus præcipit, nec ab eo officio vllo mortis metu quemquam deterreri monet Luc. 12. cuius sensum & voluntatem sic nobis Paulus interpretatur Ephes. 5. *Nolite fieri participes eorum, qui sunt fornicatores, aut immundi, aut auari* (essetis autem participes, si dissimulatione & silentio, quasi quibusdam tenebris, eorum immunditiam & auaritiam occultaretis) *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (ita vt vestium velut lucis officium sit cum bona vestra, tum mala aliorum opera gloriæ diuinæ & alienæ salutis causa manifestare) *Vt filij lucis ambulate probantes quid sit bene placitum Deo* (*omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, non noctis, neq; tenebrarum*, 1. Thess. 5. adeoq; vestrum est lucere, & *vigilare*, siue attendere ab hypocrisi eorum, qui alios fermentare possunt) *& nolite* (per silētium) *communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite,*

Et occulta eorum dedecora manifestare.

quæ in occulto fiunt ab ipsis, quæ turpe est & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestat, lumen est. Atq; huius officii prætermissionem Christiani fundi calamitatem, omniumq; malorum publicorum causam caputq; esse magnus Iesuita Al-

Huius officij neglectus causa est omnium calamitatum publicarum

fonsus Salmero perspicue totidem verbis docet Tomo 5. tractat. 15. *Ex correptionis fraternæ omissione totus mundus in maligno videtur esse positus. Nam si is, qui Summi Pontificis locum sustinet, suos qui sibi assistunt Cardinales & Episcopos corrigeret: si Episcopi suos Clericos: si Curati suæ paracia concubinarios, vsurarios atque publicos aleatores: si Generales Præpositi* (maxime Societatis Iesu) *suos Religiosos: si Reges suos officiales & ministros, Aulæ inseruientes: si denique paterfamilias suos domesticos & familiares: & Christianus QVISQVE amicum*

cum

eum suum delinquentem: profecto vix decima pars eorum quæ quotidie admittũtur criminum peccaretur: Sed quoniam nos officio nostro desumus, durißimã correctionem per Turcam nostris ceruicibus impendentem, per mutua Principũ Christianorum bella, per hæreticos qui grauißime Ecclesiam infestant, adhibere voluit. Et cum Bellua extra viam percussa vel ad viam redeat, vel eandem viam festinantius persequatur: nos tamen toties percussi belluis deteriores & minus intelligentes, neq; peccati viam deterimus, neq; per virtutis stadium vel curriculum festinamus. *Et peccatorum, propter quæ illa immittuntur.*

Verum ista omnia Forerus infra fiduciam ponit, nec vel alienæ offensæ scandaliq; metu, vel propter totius orbis corruptelam minus securè in vtramuis aurem conquiescit, modo inanimentis eius explementa non desiant, ipseq; in Aula ambabus malis expletis vorare ac lucrari, & Ventrem suum, Deum magnum, saturitate propitiare possit. Hunc ergo *durum Capitonem* firmæq; frontis, qualem Aula desiderat, Iesuitæ, si sapiũt, Madritum arcessendum curabunt, vt non modò Apiciani Iuris librum in Academia explanet & Commentariis augeat & illustret, sed etiam in culina Regia inter patinas iura reddat, cocisq; ad istũc præcipiat modũ, *Forerus nullum nec periculum, nec scandalum metuit. Modo Veneri suo sacrificare possit. Debet in Aulam Hispanicam vocari. Vt Apicium publice interpretetur. Et in Culina Regis præfecturam gerat.*

Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum:
Illud rectè: iterum sic memento: & sedulo
Moneat quæ potis est pro sua Sapientia.

Interea vnumquicquid quod quidem bellissimum sit carpens, & subinde cyathos sorbillans paulatim producat diem Ita nimirũ sapientiam illam Salomonis sibi auditam factis testabitur Eccle. 8. *Laudaui lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet & biberet atq; gauderet, & hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.*

CAPVT XVI.

ET adhuc quidem ea exposui, quæ Iesuitæ Regi Catholico & Aulæ eius partim auditu iucunda attulerunt, partim de se magnifice sunt polliciti, vt vectigali annuo decẽ millium aureorũ noua sibi conderetur Academia, in qua *profanis vocũ nouitatibus & oppositionibus falsò nominata scientia* omnib. Cõciliis, decretalibus Pontificiũ epistolis & præceptis, S. Patribus, scholarum doctoribus, & Philosophiæ Peripateticæ omnẽ fidẽ & auctoritatẽ abrogare, sibi verò sapientiæ ad summũ perductæ falsiq; nesciæ opinionẽ cõparare, eoq; pacto Societatis Imperiũ fũdare ac stabilire posset. Nũc operæ pretiũ fuerit cognoscere, quæ per Pozã suũ, quem Achillis loco in castris suis numerant, designare ausi fuerint, vt viã sibi ad votorum summam munirent. Is quod videret, nihil ad aures *Societas Poza opera conatur Orbis Monarchiã sibi cõficere.*

Hispanorum gratius accidere solere, quam sententiæ illius professionem & propugnationem, qua Beatissima Dei genitrix sine hæreditariæ peccati labe concepta statuitur (sic enim plerique eorum persuasum habent, quo puriorem B. Virginem crediderint, eo sibi impurioribus esse impune liciturum, nec tamē salutis suæ referre, vt ipsi peccatorum suorum maculas pœnitentiæ lacrymis eluant, quam vt Mariæ conceptum omni macula vacasse prædicent) eius argumenti librum edidit *Elucidarij* indice siue titulo: in quo non modo omnes illas laudes & formæ dotes Dei genitrici vindicat, quas poëtæ Veneri, Circæ, Medeæ, Helenæ, Phrynæ, Thaidi, qualsque Catullus Lesbiæ, Propertius Cynthiæ, Ouidius Corinnæ, alii aliis meretriculis impertiti sunt, proinde vt si periculum sit, ne Hispani parum B. Virginem ament, nisi eam quouis scortillo formosiorem credant, sed etiam mirandos quosdam corporis & animę dotes ei affingit, de quibus nemini vmquam prius in mentem venerat. Verbi gratia, eam non minus Christi Patrem, quam Matrem fuisse & omnia quæ pro perpetuo naturæ tenore patrem oportebat ad generationem eius contulisse, eaque re mereri, vt *Matripater*, vel *Patrimater* Christi audiat: eam nec saliuam, nec lotium nihilque omnino excrementorum habuisse, idque sine vllo miraculo ex sola corporis temperatura, quomodo etiam Christi carni eam vim tribuit, vt ex simili temperaturæ excellentia nihil se admiscente diuina virtute solo cōtactu mortuos in vitam reuocare potuerit. Hæc & alia se prædicat explorabundū emittere, vt nimirum tentet, satisne nouitatū suarū patiētes sint hominū auriculæ, vt tāto fidentius cætera ingenii prurientis cōmenta ac portēta possit extrudere. Nē quis autē hoc nomine opiniones ipsius explodēdas cōtenderet, quod nouæ sint, neq; aut cū sacrorū Conciliorū decretis, aut cum Summorū Pontificū iudiciis, aut cum Sanct. Patrū sententiis, aut cum Scholarum placitis, aut tandem cum Philosophiæ Peripateticæ axiomatis & principiis congruant, disertim ac sine circuitione nihili se istorum omnium auctoritatem facere profitetur, cum eos sæpius deceptos fuisse, erroresque aliis obiecisse nouerit: in quo docendo ac probando cæterorum, qui vmquam Ecclesiam oppugnarunt, Hæresiarcharum temeritatem, superbiam, mendaciloquium & impietatem longe post se relinquit. Hic eius liber cum Romam allatus fuisset, tristi etsi iusto edicto notatus, omnibusque Christo fidelibus lectione eius interdictum fuit. Iesuitæ verò illum ipsum eius librum, censuram Apostolicæ Sedis ludibrio habentes, Lugduni typis elegantioribus mox recudendum curarunt: pro quo etiam Poza varias Apologias edidit nouis semper fraudibus, mendaciis, gloriationibus, & in Romanos

Hispania populis nihil auditu gratius quam sententia de immaculata B V. Conceptione.

Eam ergo Poza tuendam suscipit.

Et omnium formosarum meretricum laudes in B. Virginem confert.

Multasque nouas ei affingit.

Facit eam Christi Patrem.

Multas nouas opiniones tentandi causa præmittit.

Profitetur contemtum Conciliorū, Patrum & Doctorum.

Eisq; plurimos errores obiicit.

Eius liber Romæ edicto prohibetur.

Sed Iesuitæ Romanam censuram contemnūt.

Censores iniuriis & contumeliis insignes. Ingrati quidem actionem palam eis intentat, á quibus nec suorum, nec Societatis meritorum condignam haberi rationem expostulat. Non minus beneficia exprobrat, quibus curia Romana continuò ab Hispanica natione afficitur, sine quibus non dissimulanter iacit futurum, vt Curialium Culinæ ventrisque focula mox refrigescant: quasi æquum esset caduci & temporalis emolumenti causa Pontificem Christi & Ecclesiæ causam prodere, ac scientem permittere, vt Catholicæ fidei fundamenta conuellantur, vt perfossus Ecclesiæ paries fures admittat, vt profanis vocum nouitatibus fenestra semper pateat: quasique minus sit, emolumentum, quod Regi Catholico per causam Ecclesiæ aduersus Mahometanos & hæreticos legionibus & classibus tutandæ quotannis de Cleri ac populorum spoliis permittitur, vt mutuæ dissimulationis lucro contentus esse possit, nec ad tam iniquam pactionem Pontificem adigere velle debeat. Cæterum vt Lectori specimen aliquod exhibeatur, ex quo de toto genere Apologiarum Pozæarum existimari possit, libet afferre causæ dictionem pro suis nouitatibus, qua apud ipsum vtitur Pontificem in *Apologia Nationis Cantabricæ* lib. 2. cap. 3. pag. 63. b. *Quæ omnia* (inquit) *Synodus Constantinopolitana Act. 1. ex Salomone probauit ad ea verba:* Beatus qui prædicat verbum inauditum, *id est, nouum. Idcirco neq; antiques, neque antiqua Noterícis anteponi par est, Ecclesia in dies magis illustratur.* Huius argumenti vis tali Syllogismo fiet dilucidior:

Et Papam ac Romam ingrati erga Societatem & Hispaniã postulant.

Vellent Papam temporalis lucri causa fidei corruptelas tolerare.

Mutua Papa & Hispania Regis dissimulatio.

Poza Concilii auctoritate vult probare, SS. Patres sibi anteponi non debere.

Quem Spiritus sanctus doctrinæ causa beatum iudicat, eum Papa condemnare non potest, nec antiquitatem ei præferre debet.

Qui prædicat verbum nouum, eum Spiritus sanctus doctrinæ causa iudicat beatum:

Igitur qui prædicat verbum nouum, eum Papa condemnare non potest, nec antiquitatem ei præferre debet.

Assumtione seu Minore probanda cum Spiritui sancto, tum in Spiritum sanctum sacrilege mentitur. Spiritui sancto quidem, dum Petro mentitur, id est, Pontifici imponere conatur. *Non enim hominibus es mentitus, sed Deo & Spiritui sancto,* ait Ananiæ Petrus Act. 5. In Spiritum vero sanctum; cuius verba per Scripturam & Concilium prolata partim in contextu, partim in sensu adulterat & corrumpit. Textus corruptela duplex est, compositio & mutilatio. Duo quippe verba facit in vnum coalescere, pro *In* & *auditum* reponens *Inauditum*, & prætermittit verbũ orationi necessarium *Obedientium*, cum in Concilio Constantinop. act. 5. sic legatur: *Beatus qui prædicat verbum inauditum obedientium.* In Græco: Μακάριος ὁ κηρύττων λόγον εἰς ἀκοὴν ὑπακούοντος. In Tomo autem primo

Sed in eo mentitur Spiritui S. Et in Spiritũ Sanctum.

Concilii textum corrumpendo.

Decretalium epistolarum Romæ edito pag. 475. Hormisda Pontifex in epistola ad Presbyteros & Diaconos Syriæ (quam dictum Cõcilium recitat) ita loquitur: *Libenter communicamus dogmata ista vobiscum. Dicit enim sapientißimus Salomon; Beatus qui prædicat verbum in aurem obedientis. Gaudium est siquidem volentes alloqui, & ad rectam viam eos, qui non reluctentur, hortari.* In mente autem Pontifex habuit verba hæc Eccles. cap. 25. *Beatus qui enarrat iustitiam auri audienti.* Poza verò vt nouitatibus suis locum inueniret, falsi se alligare nihil dubitauit, fecitque *Beatus qui prædicat verbum inauditum.* Nec eo scelere contentus, interpretamentum addit, *id est, Nouum:* vnde porrò cogit, Pontificem præter æquum facere ac potestate in destructionem fraudemque Ecclesiæ vti, si sanctos Patres & Concilia Pozæ anteponat, & lumine per illum accenso Ecclesiam defraudet.

Et verba falso interpretando.

CAPVT XVII.

Pontifex omnia Pozæ scripta merito prohibet. *Eum tamen non excommunicat.* *Hinc Iesuitæ se ab eo metui conijciunt.* *Eius iussa palam contemnunt.*

ITaque propter innumera id genus mendacia, fraudes, imposturas & Sacræ Scripturæ Conciliorumq; corruptelas & adulterationes Pontifex omnes eius libros tam manu, quam formis descriptos edicto damnauit legiq; vetuit. Sed quoniam nescio quo consilio eum diris deuouere, ac tamquam manifesto iam contumacem hæreticum sacris interdicere distulit, Iesuitæ se ab eo metui interpretati sunt, sicut Florentiæ viro cuidam primario non dubitarunt gloriari, si Societati libeat, dimidiam populi Catholici partem nullo negotio ab officio erga Pontificem posse eam abducere. Cum ergo Pontifex eis præcepisset, vt Pozam Madrito in aliquem solum locum relegarent, vbi nec voce, nec calamo pestiferam doctrinam suam propagare, multosq; alios venenare posset, tantum abest, vt imperata eius exsequi voluerint, vt etiam in suprema omnium cathedra Regiæ apud Madritum Academiæ Doctorem sacrarumq; literarum interpretem eum collocarint, ad eiusq; acroases Episcopos, Hispaniæ Magnates & vt quisq; nobilitate & auctoritate præcellere visus fuit, subinde inuitarent: quod minime dubium haberent futurum, quod de hæreticis Paulus affirmat: *Sermo eorum vt cancer serpit,* velut etiam euentu mox fuit comprobatum. Multo enim plurimos omnium Ordinum in suam Poza pertraxit sententiam, vereq; *transtulit in aliud Euangelium & fascinauit non obedire veritati,* nec intellectum suum in obsequium Christi & Vicarii eius captiuum redigere. Quod enim euidentius fascinati, deuoti carminibusq; illigati animi argumentum excogitari potest, quam quod primarius quidam Hispaniæ Archiepiscopus,

Et Poza hæreses omnib. Hispanis instillant.

Magnus Hispaniæ Theologus Archiepiscopus à Poza fascinatus.

pus, nemini Theologorum vniuerſæ Europæ ſecundus, cum prius multa eorum, quæ poſt Poza docuit, luculente libris editis damnaſſet errorisq; ac mendacii conuiciſſet, poſtea Elucidario eius ſemel iterumq; lecto, etſi eum Romæ iam condemnatum noſſet, ſe tamen quicquam in eo niſi veritati & pietati congruens negauit inueniſſe: ita vt eorum quę ipſe magna cum ingenii & doctrinæ commendatione ante docuerat, memoriam ei magico veneficio ademtam fuiſſe, aut ſaltem ipſum oculis faſcino præſtrictis, quæ in Poza legerat, non vidiſſe neceſſe ſit. Nec verò aliud argumenti habet, quod ſupremum Sacræ Inquiſitionis in Hiſpania tribunal inter tot annos adduci non potuit, vt cenſuram Pontificis ratam haberet, ac Pozæ libros vetare & abolere vellet: hoc amplius autem minime interceſſit, quin nouas ille ſubinde Apologias Pōtifici & Inquiſitioni Romanæ publice opponeret, & criminoſis libellis inuidiam eis apud Hiſpanos faceret, eorumq; corda ſolicitaret, cum tamen doctiſſimus & grauiſſimus quiſq; ex illuſtrioribus Religioſorum Ordinibus non in priuatis modo congreſſibus, ſed etiam in ſcholis aut cœnobiis de ſuperiore loco, pariterque in templis pro concione in Pozam & Socios ac laudatores eius tamquam nouitatum amicos, Principum adulatores, interuerſores veritatis, pacis publicæ turbatores, & lupos vellere ouillo tectos grauiſſime inueherentur, Academiarum vero nomine nouum fidei Symbolum ex Pozæ libris conflatum, velut nouarum & inſtauratarum hæreſion & blaſphemiarum in Deum Cornu copiæ ab earum Procuratore exhiberetur, cuius exemplar hic ſubiicere placet, vt de Ieſuitarum cœptis & molitionibus, deque miſerando Hiſpaniæ ſtatu omnes exiſtimare poſſint.

Ipſum Inquiſitionis Hiſpanicæ tribunal erga Pontificem contumax.

Capvt XVIII.

IESVITICVM FIDEI SYMBOLVM, velut Canticum nouum:

Ex Iohan. Baptiſtæ Pozæ libris conflatum, vnaque cum documentis neceſſariis ab Hiſpanicarum Academiarum Procuratore S. Inquiſitionis Conſilio Madriti exhibitum.

I. Credo in duos Deos: quorum vnus filii pater & mater eſt metaphorice in generatione æterna: alter metaphorice mater & pater

pater est in generatione temporali: cui consequens est, vt tam Deo patri, quam B. Virgini nomen Matri pater conueniat, tamquam vterque Hermaphroditus esset vel Androgynus.

II. Credo in Iesum Christum, vnicum vtriusque filium metaphoricum secundum æternam & temporalem generationem.

III. Credo Iesum Christum, vt hominem, fuisse conceptum & natum de Maria Virgine tamquam patre & matre metaphorice per virtutem paternam & maternam.

IV. Credo eundem passum & mortuum non vere & realiter, eo quod mori non potuit.

V. Credo eum fuisse sepultum etsi vere & realiter non mortuum.

VI. Credo animam eius descendisse ad inferos metaphoricè, cum à corpore non fuerit separata.

VII. Credo eadem metaphora eum à mortuis resurrexisse, qua fuit mortuus.

VIII. Credo eum adscendisse in cœlos, sedere ad dextram patris & venturum vt iudicet alios viuentes, alios etiamnum mortuos.

IX. Credo in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas nonnumquam deceptos.

X. Credo Ecclesiam ex maiori parte sanctam, & sanctorum communionem.

XI. Credo remissionem peccatorum per repentinum Spiritus sancti aduentum super impios.

XII. Credo resurrectionem carnis ex maiore eius parte, & vitam æternam non sine aliqua oppositi formidine.

Iesuitæ iubēt Hispanos credere in duos Deos. Vt saltem in vnum credere eis persuadeant. Iesuitæ non contenti Hispaniam hæresi infecisse.

DVbium non habeo, multos exterorum viso primo Symboli articulo statim iudicaturos, Iesuitis propositum fuisse iniquum postulare, vt æquum obtineant. Si enim duos proponant Deos, in quos credere oporteat, hoc saltem Hispanos à se passuros impetrari, vt in vnum credant: in quo persuadendo inde à D Iacobi in Hispaniam aduentu à multis Sanctorum fuit desudatum. Nec tamen Iesuitis satis visum fuit, quod Hispaniæ fidem magna ex parte subuerterunt, & ipsos Episcopos, nec eos modo in sacris literis & Sanctorum Patrum libris hospites (vt fere sunt, qui hodie greges Dei pascendos suscipiunt) sed etiam diuinarum & humanarum literarum & antiquitatum Ecclesiasticarum consultissimos, quod denique dolendum est maxime, ipsum Sacræ Inquisitionis Tribunal, illum Hæreseon quarumcumque scopulum, præstigiis suis fascinarunt & à fide ac reuerentia Sedi Apostolicæ debita

debita auerterunt, sed non minus Angliæ, Galliæ & Belgii populos ad hæreses suas concipiendas inficere ac præparare annituntur. Eius conatus documentum dederunt publicata in Symbolum Apostolicum Censura, quam eo consilio sibi actam fingunt, vt Parisiensium Theologorum aduersus se Censuræ auctoritatem abrogarent. Sed cum in Hispania iisdem fere verbis loquendiq; modis Romanam Censuram eleuent ac ludificentur, & Censores librorum Pozæ (quos Pontificem, Cardinales, eorumq; Consultores Theologos esse satis norunt) *calumniatores, mendaces, manifeste falsarios, Hæreticos & fidei Apostolicæ Sedi debitæ proditores* esse, omnibus persuasum velint: nemini paulum modò intelligenti non manifestè apparet, eos hoc habere propositum, vt vel Symboli Apostolici auctoritas paulatim diluatur & obsolescat, vel saltem ipsis verba eius ex libidine sua interpretantibus sine retrectatione fides adiungatur.

Idem in Gallia, Anglia & Belgio tentant.

Symboli Apostolici auctoritatem imminuendo.

CAPVT XIX.

Impia, scelerata & horrenda Anglicorum & Hispanicorum Iesuitarum Censura in Symbolum Apostolorum, ad explodendam non modò Parisiensium Theologorum, sed & Sedis Apostolicæ Censuram, typis publicata.

Ex Admonitione Iesuitarum ad Lectorem.

MErito ac prudenter timuimus, ne Theologi Parisienses homines versipelles ac subdoli ipsum fidei Christianæ Symbolum pari licentia & temeritate (ac nostros duos libros) profanent. Quorum conatus sacrilegos vt pro ea, qua pollemus auctoritate præueniamus, è re Catholica futurum arbitramur, idem Symbolum nostra Censura castigatum Catholicis omnibus proponere, ne quid in eo deinceps supersit, quod incautis Lectoribus offendiculum obiiciat.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

Primus iste Articulus si intelligatur, quasi solus Pater sit Deus, & omnipotens, & creator, filius autem & Spiritus sanctus solum creaturæ sint: propositio est impia, blasphema, indiuiduæ Trinitatis destructiua, & pridem in sacro & Oecumenico Concilio 318. Episcoporum aduer-

sus Arij impietatem damnata. Quatenus autem soli Patri creationem attribuit, noua est, temeraria, erronea, contra communem Ecclesiæ Patrum ac Theologorum omnium sensum prolata, cum hactenus receptum sit tamquam inuiolabile decretum, omnes Trinitatis actiones ad extra esse indiuisibiliter toti Trinitati communes.

Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.

Tota hæc propositio captiosa est & fallax, in quantum omittit Iesum Christum Filium esse naturalem & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est & doctrinam inducit hæreticam sæpius ab Ecclesia in Conciliis Nizæno, Ephesino & Francofurdiensi præsente Carolo Magno damnatam. 2. ratione particulæ vnicum, omissa præsertim Consubstantialis aut Naturalis. Sic enim quatenus propositio etiam extenditur ad filios adoptiuos, de quibus ipse Dominus Psalm. 81. ait: Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. Et Apostolus Rom. 8. Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. falsa est, piarum aurium offensiua, & iustis omnibus & sanctis iniuriosa. 3. Quatenus esse Dominum, quod indiuisa proprietate tribus diuinis personis æqualiter conuenit, soli filio attribuit, oblique insinuans, vnicam esse diuinam personam, quæ modo Patris, modo Filii, modo Spiritus Sancti appellatione significatur, hoc iam pridem aduersus Sabellium vniuersa Ecclesia tamquam impium atque hæreticum damnauit.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Tota hæc propositio æquiuocatione laborat, quæ inducere potest in hæresin propter ambiguas particulas De, & Ex: & quia ordinarie de habitudine importat principii componentis, iuxta quam innuitur Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum verè dici posse Patrem Christi. Ideo propositio in hoc sensu falsa est, dolosa, hæretica, & diuinarum originum confusionem atq; euersionem inducens. Similiter quoniam tam particula De, quam particula Ex consueto more loquendi habitudinem prioris & posterioris includit, & eatenus insinuare videtur, Christum posteriorem Spiritu sancto, & ante Mariam non fuisse, quod pridem aduersus Nestorium tamquam falsum & hæreticum damnatum est: ideo propositio hoc sensu intellecta hæretica est. Denique si ita Christus dicitur na-

tur natus ex Maria Virgine, vt quicquid in Christo est, ex ea naturâ statuatur, quasi virgo etiam dici possit Mater diuinatis, in hoc sensu propositio falsa atque hæretica est, & in consequentia valde periculosa.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

Hæc propositio ambigua est, & aliquo sensu hæretica: nam cum proprie in cæteris rebus ita actiones & passiones sunt suppositorum, vt etiam naturæ eius propria & hypostasis attribuantur, & ob hanc causam mortua vel abscissa manu non recte propterea homo mortuus dicatur, nisi ipsa natura humana dissoluatur, ideo periculosa est propositio, & iuxta obuium illic sensum intellecta, quasi diuinitas aliquid passa, vel mortua fuerit, non solum hæretica est, sed etiam impia & plasphema.

Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

In hac propositione quatenus verbum Descendit, relatum ad personam Christi, insinuare videtur, ipsam quoque diuinitatem ad inferos descendisse, cum tamen diuinitas propter immensitatem vbiq; existens moueri non possit à loco in locum, ac proinde non adscendere in cœlum nec ad inferos descendere, ideo periculosa est & inducere potest in errorem. Intellecta verò de anima Christi, si sensus sit animam Christi ad pœnas inferni descendisse, & eas re ipsa sustinuisse, propositio est hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiua, & ex Caluini doctrina lib. 2 cap. 16.

Adscendit ad cælos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

Ista quoque propositio intellecta de adscensione Christi in cælum secundum diuinitatem, perinde vt superior, falsa & erronea est. Quatenus autē affirmat, Christum sedere indefinite, ac proinde etiam vniuersaliter id pro omni tempore statuere videtur, ideo si ita intelligatur, Christum semper sedere, vt neque stet vnquam, neq; etiam de loco in locum moueatur, cum & stet, & Sanctus Stephanus stantem eum in cœlo viderit, & Iohannes Apoc. 14. De Virginibus dicat, eas Agnum perpetuo sequi quocumque ipse ierit, propositio sic intellecta temeraria est, & expresso Dei verbo contraria. Denique in quantum hæc eadem propositio Deo Patri dextram attribuit, Anthropo morphitarum hæresin redolet, & in eum errorem inducit.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ista propositio quatenus ita asserit Christum ita iudicaturum esse viuos & mortuos, vt negare videatur, Patrem & Spiritum Sanctum iudicaturos, cum hæc actio suprema atque adeo diuinæ authoritatis sit, eaque externa, ac proinde toti Trinitati communis; ideoque propositio hac ratione ad solam personam Christi, multoque magis ad solam eius naturam humanam limitata, falsa, temeraria & erronea est. Quatenus autem eadem quoque propositio asserit, Christum iudicaturum esse non modo mortuos, sed etiam viuos, ambigua est & fallax. Vnde si sensus est, quosdam homines non esse morituros, non prius vita defunctos ad iudicium esse perducendos, propositio noua est, temeraria, falsa & erronea, nec non Verbo Dei & communi Patrum totiusq; Ecclesiæ sensui contraria.

Credo in Spiritum Sanctum.

Hæc propositio maligne proposita est & ex affectata breuitate merito suspecta haberi potest. Subdole enim Spiritus Sancti diuinitatem, eiusque à patre & filio processionem tacet. Proinde Arianam hæresin redolet, schismati Græcorum oblique fauet, indiuiduamque Trinitatem dissoluit.

Itemque tota explicatio diuinæ atque induiduæ Trinitatis, octo istis articulis comprehensa, manca & periculosa est, auertitque fidelem populum à cultu & reuerentia tribus diuinis personis indiuise atque inseparabiliter debita, & sub prætextu breuitatis & non necessariæ explicationis subdole totum Trinitatis mysterium euertit, cum tamen perfecta eius & explicata fides medium sit ad salutem necessarium. Vixq; tota hæc doctrina excusari potest à dolo, quod nullam de Filii aut Spiritus Sancti diuinitate, aut etiam æternitate mentionem faciat, sed contrarium de Filio in articulo tertio insinuet.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

Propositio hæc multiplici periculosa æquiuocatione & affectata obscuritate errorem tegit. Inprimis enim ambiguum & obscurum est, quid sit credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. Etsi sensus est adhibēdam esse fidem definitionibus Ecclesiæ cum exclusione definitionum, quæ fieri possent à solo eius capite, quasi Papa extra Cōcilium nihil definire possit, quod sit de fide: propositio est temeraria, scādalosa & summo Pontifici vehementer iniuriosa. Deinde dubium est, quo sensu Ec-

clesiam

clesiam dicat esse Sanctam. Et si sensus sit solos Sanctos & non multos malos contineri, propositio falsa, & hæretica, & Verbo Dei communique Patrum sensui contraria est. Eodemque modo reiiciendum est, quod de Sanctorum communione adiungitur, si inter solos Sanctos bonorum spiritualium communio admittatur, cum fide certum sit, omnes qui in Ecclesia sunt, tam bonos quam malos, in bonorum spiritualium saltem aliquorum participatione vniri. At si per Communionem Sanctorum non tantum bonorum, spiritualium saltem, sed quorumcumque etiam aliorum Communio intelligeretur, propositio esset absurda, à fide & recta ratione aliena, & Anabaptistarum confusionem induceret.

Remißionem peccatorum.

Ista quoque propositio sub his generalibus terminis concepta, vel falsa, vel periculosa est. Intellecta enim de perfecta & absoluta peccatorum omnium, etiam eorum, quæ quotidie committimus, remissione iam à Christo facta, & nobis semel in Baptismo applicata: hoc sensu hæretica est, & Sacramenti Pœnitentiæ destructiua.

Carnis Resurrectionem.

Si intelligatur de Resurrectione, quasi iam facta & amplius non sit futura, propositio hæretica est, iam olim ab Hymenœo & Phileto asserta, & ab ipso Apostolo 2. Timoth. 2. damnata. Intellecta verò de Resurrectione futura, sed de carne animali, hoc est, quæ iisdem animalibus desideriis, operationibus ac necessitatibus subiecta sit: propositio falsa atque erronea est, & Mahometis impietatem sapit contra expressam verbi diuini auctoritatem 1. Corint. 15.

Vitam æternam.

Hæc propositio quatenus indefinite proponitur, atque ita vniuersaliter extenditur ad omnes, excludendo mortem æternam, qua iniusti punientur, falsa, scandalosa & hæretica est, ianuamque vitiis omnibus aperit, & Atheistarum huius temporis impietatem atque insaniam sapit.

Censoria Notio Iesuitarum in Symbolum Apostolorum explicit feliciter.

CAPVT XX.

Iesuita habĕt pro prudĕtia, si Symbolum apostolorum cōtemtum reddatur.

ISta est prudentia & iustitia Iesuitarum, vt quia suas nouitates Romanis & Parisiensibus Censoribus probare non possunt, merito se & prudenter facere in eo iactitent, quod ipsa Spiritus sancti verba numquam nisi cum veneratione & horrore quodam tractanda, ad incudem vocant, & ingeniorum suorum lasciuiæ ac petulantiæ subiiciunt, vereque obscœnarum Harpyiarum instar contactu immundo fœdare non dubitant.

Quartum Iesuitarum votum de obediĕtia erga Pontificē. Et propugnatio pro eius iure & auctoritate.

Ex istis porro omnibus nemini obscurum aut dubium esse potest, quo spiritu, quibusue artibus Societas ista non modò peculiari Voto fidem suam Pontifici Maximo ad omnia eius imperia promtissimis animis excipienda deuinxerit, sed etiam tanto ingeniorum certamine ius & auctoritatem eius semper tutata fuerit, vt etiam multo ampliorem ei potestatem tribueret, quam vel fidelis & prudens Dispensator, qui se pro Dei seruo, non pro Domino gerat, aut postulare audeat, aut vltro sibi ab hominibus delatum admittere animum inducat, vel superiorum sæculorum Ecclesiæ Patres ac Doctores æquis animis audire potuissent, vel denique Regna ac populi paci publicæ suæque saluti & incolumitati conducibile iudicarent. Aspendii videlicet ritu intus cecinerunt, vt Imperii in omne humanum genus fundamenta sibi iacerent, eamque ad rem varia priuilegia, immunitates & ab omnium Episcoporum ditione ac potestate exemtiones à Pontifice eblandirentur, quibus opes Societatis fundare ac stabilire, & procedente tempore suo remigio rem gerere, nec Principibus modò & populis, sed ipsi etiam Pontifici & Ecclesiæ Romanæ formidini esse, & Regibus Catholicis cum Pontifice collisis sua ex regnorum calamitatibus commoda comparare possent. Qua de re quo minus cuiquam sit dubium, cunctique eorum Sinonias artes, quibus fatali suæ machinæ aditum in omnem Christianam Rempub. murorum excidio ac strage patefaciunt, non solum clarè perspiciant, verum etiam velut manibus contrectent, quinque hoc loco huius eorum consilii & conatus documenta in mediū afferam. Primum eorum est, quod in scripta docti cuiusdam viri disputatione hoc modo expositum inueni:

Proprium Societatis bonum pro Scopo habet. Vt à Pontifice multa Priuilegia obtineant. Et magnis opibus auctiores. Societatis Monarchiā stabiliant.

Eius conatus quinque documenta.

Primum documentum.

Anno 1609. Paulus V. Pontifex Saluago Sarzanensi Episcopo, suo apud hodiernum Imperatorem Nuntio præceperat, vt Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Ecclesias perlustraret, earumque statum & Cleri mores

mores coram inspiceret atque emendaret. Iesuitæ extrema fecerunt omnia, vt ne inspectio seu visitatio illa procederet. Plerique enim prouinciarum illarum Sacerdotes ex Iesuitarum scholis profecti munuscula illis frequenter missitabant, adeoque duplici nomine, quamuis palã essent improbi, Magistrorum patrocinium gratiamque mereri videbãtur. Itaque cum aliam Nuncii circumscribendi & Visitationis impediẽdæ viam non viderent, ipse P. Barth. Villerius, Archiducis Confessarius, Aulæ illius primores etiam atque etiam prouidere monuit, ne committerent, ex quo in omni Politica publicique status ratione nullam prorsus rem sapere argui possent, vt per occasionem eiusmodi Visitationis externis hominibus, præcipueque Italis prouinciarum illarum Italiæ finitimarum status notesceret. Sed illi, quos minime fallebat, quæ res animi Iesuitas angeret, negarunt se saluo officio iuri Pontificis intercedere, aut Archiduci eius tentandi auctores esse posse. Nec enim quicquam inter Archiducem finitimosque Venetos interfuturum, si Pontifex circumscriptus & impeditus in Clericos imperio ditionique suæ subiectos arbitratu suo inquirere, moresque eorum ex sacrorum Canonum præscripto emendare ac dirigere nequeat. Nuncius igitur prouincias illas obiit, & in omnibus tribus SEX SOLOS Sacerdotes inuenit, qui non essent Concubinarii: quod ipse mox amicis retulit, cum tantam morum corruptelam vitæque turpitudinem in hominibus ex Iesuitarum disciplina profectis negaret se satis mirari ac deplorare posse. Quid nunc? An adhuc dubitabit quisquam, qua fide Iesuitæ Pontificis auctoritati seruiant, cuius imperium minuere, & suæ vtilitatis causa Principi religiosissimo contumaciæ erga Sedem Apostolicam auctores ac suasores esse nulla prorsus religione deterrentur?

Iesuitæ Nũcii Apostolici Visitationem impedire conantur.

Quia sit cõtra status rationem.

In Stiria, Carinthia & Carniola omnes Sacerdotes Cõcubinarii.

Quamuis ex Iesuitarum disciplina profecti.

CAPUT XXI.

Alterum documentum est, quod ab eodem viro docto sic inibi enarratur:

Alterum documentũ infidelitatis Iesuitarum erga Pontificem.

Libellus Archiepiscopi Pragensis Cardinalis ab Harrach, quem Anno 1624. Summo Pontifici & Cardinalium hæreticæ prauitatis Quæsitorum tribunali Romam misit, contemtæ à Iesuitis Censuræ Pontificiæ & iuris Ecclesiastici ob propriam suam vtilitatem

&adi

Affectant dominatum in dimidiā regni Bohemici partē.

&ad dominationem in dimidiam quaſi regni Bohemici partem ipſis conficiendam omnibus viribus oppugnati, luculentiſſimum continet teſtimonium. Horribilis illa Sedis Apoſtolicæ ſanctio, quam *Bullam Cœnæ Domini* indigitant, Anathema ſiue *Excommunicationem latæ ſententiæ* omnibus Regibus ac Principibus intentat, quicumque *Conſtitutiones pragmaticas*, aut quodcumque decreti genus *faciunt*, ſimiliterque omnibus illis, qui vt ſimilia fiant auctores ſunt, aut *factis vtuntur, quæ iuri Eccleſiaſtico quomodolibet directe vel indirecte, tacite vel expreſſe præiudicant.*

Cæſarem docent contemnere Bullam Cœnæ Domini.

Hanc ſanctionem vt Imperator noſter Chriſtianiſſimus contemneret, nihilique Excommunicationem faceret, Ieſuitæ ei perſuadere laborarunt, quemadmodum libello illo Cardinalis facit planiſſimum. Clemēs enim Sextus Pontifex Caroli IV. Imper. rogatu anno 1348. Pragenſem Vniuerſitatem ſiue Academiam Apoſtolica auctoritate cōdidit, quodque ad Doctoratus & Magiſterii, quos vocant, gradus conferendos attinet, ſupremo iuri Pragenſis Archiepiſcopi tamquam ſui Ordinarii perſpicuis verbis ſubiecit, quam non minus ad alia iurisdictioni eius obnoxiam eſſe, exemplo cæterarum Orbis Academiarum, nemo niſi ſacrorum Canonum imperitus non intelligit, ſicut & ſancta Tridentina Synodus *Triuiales ſcholas, ſeminaria & vniuerſalium ſtudiorum Collegia prouidentiæ & iurisdictioni Epiſcoporum* demandat. Minime proinde dubium eſt, quin Princeps ſæcularis auctoritate ſua ſuum Epiſcopis in Academias & Scholas ius auferens, aliiſque attribuens, imminutæ Eccleſiaſticæ maieſtatis reus & piacularis, ipſoque iam iure extra Eccleſiæ communionem poſitus, ſacriſq; interdictus ſit.

Et Eccleſiæ Pragenſi ius ſuum auferre.

Queritur autem Cardinalis Pragenſis, Ieſuitas ex immenſa Ambitione infinitaq; in Cleros ac populos dominandi libidine religioſiſſimo Cæſari auctores fuiſſe, vt Victoriæ Pragenſis diuinitus ſibi conceſſæ fructum in Eccleſiaſticæ Iurisdictionis oppreſſione ponens ſuæ auctoritati & poteſtati ius Archiepiſcopi ſubiiceret, & altitudinem ſuam aduerſus Cōciliorum & Sedis Apoſtolicæ ſanctiones extolleret. Hoc vt Ieſuitas tā nefariè deſignaſſe Pōtifici & S. Officii Cardinalibus fidem faciat, ipſa Bullæ Cæſariæ verba profert, quam Ieſuitæ Luciferiana ambitione concipiente ac dictāte, calamo in atra Phlegetontis unda tincto perſcriptam Cæſari obtulerant, ab eoque promulgari contenderant. Verbi gratia: *Auctoritate noſtra Imperiali & Regia Vniuerſitatem Carolinam* (hoc eſt, Pragenſem Academiam) *Vniuerſitati Ferdinandeæ Societatis Ieſu in noſtra ciuitate Pragenſi pleno in perpetuum iure vnimus. Neque huic noſtro conſilio obtendi poteſt qualecumq; Carolinæ priuilegium* (id eſt, etiamſi Sedes Apoſtolica & Conciliū Tridentinum Carolinam Archiep. Pragenſis velut ſupremi capitis ſui iuriſ-

Sacrilega Bulla à Ieſuitis fabricata contra Bullam Pōtificiꝰ.

iurisdictioni subiecerit, nos tamen nostrum consilium stare volumus, & inuito Concilio ac Pontifice eam ab omni iure Archiepiscopi exemptam Rectori Collegij Iesuitici nostra auctoritate subiicimus. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas) *quando nos illam ob eius demerita abolere penitus potuimus, & quoad ea prorsus abolemus, quæ præsenti à nobis erectæ vnioni repugnare contigerit.* (Cum enim hæretici ducentis abhinc annis Carolinam Academiam occuparint, & inuito ac gemente Archiepiscopo tenuerint, merito nunc Archiepiscopus à nobis plectitur, & suo in illam iure spoliatur. Hoc enim ius mei me Iesuitæ docent, quomodo & S. Benedictum contendunt omne ius in Monasteria sibi quondam consecrata & ab hæreticis erepta amisisse, nec eorum restitutionem postulare iam debere, quippe qui ea eripi sibi passus fuerit, cum à Deo quicquid vellet precibus obtinere posset.) *Itaq; supremum huius totius Vniuersitatis Rectorem perpetuis futuris temporibus eum esse volumus, qui Collegij nostri Cæsarij Societatis Iesu Rector pro tempore exstiterit, à Superioribus eiusdem Societatis de more institutus.* Id est, quemcumque Patriarcha Iesuitarum suum in Bohemiæ regno Proregem esse voluerit. De iure autem, quod in Carolinam habet Archiepiscopus, ita mox sancitur: *Præsenti diplomate ius illud auferimus, abrogamus cassumq; esse auctoritate nostra pronunciamus. Insuper subiicimus eidem Rectori omnes & singulos Triuialium scholarum in vrbe Praga Magistros, & quoscumq; Pædagogos: qui in omnibus sese dicti Rectoris, aut delegatorum eius potestati, dispositioni, inspectioni, visitationi accommodet. Nemini veri prorsus liceat vllam nouam pædagogiam, aut cuiuscumq; facultatis &c. nisi obtenta in scripto à Rectore licentia instituere. quin etiam Rectori OMNIA totius Regni Gymnasia & Treuiales scholas, siue iam erectas, siue erigendas subiectas esse volumus.* Posthæc eadem sæculari auctoritate Rectori Iesuitæ conferuntur *iura Inquisitionis & Correctionis hæreticæ prauitatis, & Censuræ librorum, siue venalium, siue imprimendorum*, quæ ad Archiepiscopum & Ecclesiam Pragensem pertinere, nemini potest esse dubium. Iesuitæ tamen contemptis Conciliorum decretis ipsamq; Bullam Cœnæ Domini ludificantes, *totam Academiam* (ait idem Cardinalis) *de facto vsurpant, bonaq; illius Stabilia administrant, & actus publicos ac solennes in ea exercent inconsulto penitus Archiepiscopo.* An ergo adhuc quisquam inueniri poterit, quin clarissime perspiciat, Iesuitas Societati suæ in regna ac populos Imperium solicitè comparare, eiusq; rei gratia Reges cum Pontifice collidere, vtiq; omnem Apostolicæ Sedis auctoritatem labefactent & iurisdictionem Ecclesiasticam inuadant, ac Bullæ Cœnæ Domini medium digitum intendant, animos eis addere & exemplum præire?

Volunt esse domini Academiæ Pragensis.

Et iurisdictionem habere in omnes totius regni ludimagistros, pædagogos & discipulos.

Præterea Inquisitionem & librorũ Censuram.

Cardinalis Archiepiscopi ius inuadunt.

Et Cæsarem cum Pontifice collidũt.

CAPVT XXII.

Tertium documentum infidelitatis Iesuitarum erga Pontificem.

Cæsar Edictũ promulgat, quo Protestantes occupata Monasteria prioribus dominis iubet restituere.

Id Edictum Pontifex ratum habet ac laudat.

Iesuitæ sperauerunt ea Monasteria societati datum iri.

Vt multi Rectores locum haberẽt inter Status Imperij.

Id eis spondebat Cæsaris erga Societatem beneuolentia.

Et quoniam ipsi Cæsarem ad Edicti publicationem impulissent.

TErtium documentum est sacrilega multorum Germaniæ Monasteriorum aucupatio & occupatio, quæ abhinc quinquennium contigit, & mutatæ Cæsaris fortunæ causa potissima vereque fundi Germanici fuit calamitas. Cæsar videlicet mense Martio Anni 1629. Edictum promulgauerat, quo Monasteria omnia inde ab Anno 1552. à Protestantibus occupata veteribus Monachorum Ordinibus, quorum prius fuerant, restitui iubebat. Cuius exemplar cum Romam misisset, Pontifex mente Maio suo & vniuersi Apostolici Senatus nomine pietati eius per literas gratulatus fuit gratiasque egit, & Edictum ipsum auctoritate sua ratum esse iussit, tanquam ad Catholicæ Religionis in Germania instaurationem inprimis oportunum. Sperauerunt autem Iesuitæ complura opulenta Monasteria suæ Societati datum, inque Collegia, Scholas Seminaria conuersum iri, eaque re futurum, vt non pauci Collegiorum Rectores eodem quo Abbates iure essent, inque consensu Procerum Imperij ius suffragij, multa etiam oppida, vicos & castella suæ iurisdictioni subiecta haberent, magna denique ad Patriarchæ sui amplitudinem dignitatis & opum fieret accessio, quippe, qui Magnates Imperij habiturus esset imperio ac ditioni suæ obnoxios: quam suam spem minime dissimulant Iustæ defens. pag. 274. & Placidæ Disceptat. pag. 26. vbi pugnant non minus Jesuitas, quam Abbates, *Imperij Status*, siue proceres *esse, & suffragij ius habere posse*, tamquam *viros graues & prudentes, cum quibus iam Comites & Barones sua sponte negotia tractare, & Principes eorum Consiliis vti soleant.* Quod minime mirandum est de illis saltem Principibus, quos auri sacra fames vsque eo infatuauit, vt consulendis Jesuitis Cõsiliariorum salaria se lucrifacere arbitrentur. Causam vero spei Monasteriorum obtinẽdi, duplicem sibi habere visi sunt. Primum quoniam eis de impensa Cæsaris erga Societatem beneuolentia satis exploratum esset: Deinde, quia perfacile fidem aliis se facturos intelligebant, se solos demum fuisse, quorum opera & impulsu tam acer ac præsens Cæsari animus accesserit, vt quod quinque ante eum Imperatores velut nimis anceps & arduum tentandum non putauerint, ipse fidenter nullo periculorũ metu suscipere auderet. Neminem

neminem proinde vel verbulo intercessurum arbitrabantur, quin Cæsar opulentiora quæque Monasteria in diuersis Germaniæ prouinciis sita in Collegia Societatis conuertere, ipsorumque operam sibi præter omnes alios iam olim mirificè probatam ad populos ab erroribus Fidei ad Catholicæ veritatis agnitionem perducendos experiri vellet. Postquam verò multo aliter euasurum, ac spe præceperant animoque finxerant, ex pluribus Cæsaris decretis & mandatis, & ex illo, quod dixi, Pontificis responso intellexerunt, incredibile dictu est, quam nefariis, impiis, omnique exsecratione detestandis machinis & rationibus, siue mediis, annitendum sibi putauerint, vt ne Cæsar Edictum illud suum, tanta Pontificis gratulatione & Sacri purpuratorum Collegij acclamatione celebratum, ad rem conferret, sed contra quam professus fuerat, in pleraque Monasteria à Protestantibus recepta Societatem ipsorum immitteret. Hac de re operæ pretium fuerit *Astrum inexstinctum* inspicere, eruditissimi cuiusdam de D. Benedicti familia Sacerdotis librum, anno superiore typis vulgatum, præcipue verò quæ quarta Quæstione de multiplici Jesuitarum in Cæsarem contumelia distinctè explicantur. Quoniam verò multis eum librum videre non contigit, nequaquam ab re futurum arbitror, duodecim portenta velut Hydræ capita à Sacerdote illo tamquam Herculis claua armato elisa & perempta hic enumerari, vt aliis Regibus Principibus ac Rebuspubl. quantos malorum montes inexplebilis Jesuitarum auiditas & insanum Monarchiæ suæ per fas ac nefas amplificandæ magnisque auctibus augendæ studium Cæsari conciuerit, & in omnem Germaniam importarit, tanto manifestius dilucescat, ipsiq; alieno docti exemplo sibi quid exusu sit, eo rectius constituere possint.

Sed multo aliter mox euenit.

Omnia ergo fecerunt, vt Cæsar Edictum nō exsequeretur.

Societas velut Hydra venenatis circumuallata colubris Herculem cum claua inuenit.

P. Romanū Haium Benedictinum.

Caput XXIII.

PRimum eorum mediorum velut Hydræ capitum fuit Aulæ Cæsariæ & Consilij eius vniuersi infamatio: alterum Pontificis erga Cæsarem irritatio & ad rescindendum Edictum eius tanto cum plausu Romæ exceptum stimulatio. Romam quippe libellum miserunt sic inscriptum: *Animaduersiones in causa bonorum Ecclesiasticorum & Monasteriorum exstinctorum in Germania.* In quo libello quam enixe omnia

Primum & secundum Hydra Iesuitica caput.

fecerint, vt Cæſaris Conſiliarios impietatis, temeritatis, hoſtilis erga ſedem Apoſtolicam odij, hæreſeos denique ſuſpectos Romæ q; inuiſos redderent, & Pontificem ad Edicti Cæſarei reſciſſionem vel abrogationem & condemnationem impellerent, ex iſtis eius vel bis iudicari poteſt: *Ante omnia animaduertendum eſt, Cæſarium Conſilium in hunc ſcopum collimare, vt Summus Pontifex à negotio reparationis Germaniæ ad Catholicam Religionem totaliter excludatur, & quicquid in illo fieri expediat, per dictum Conſilium ordinetur ac diſponatur, & per Cæſaris Commiſſarios executioni mandetur. Hoc autem non obſcure colligitur inprimis ex vulgato illo Cæſaris Edicto de Eccleſiaſticis bonis reſtituendis Pontifice non præmonito, neq; illius voluntate exploratâ, quibusnam illa eſſent reſtituenda. Neq; eſt ſolum exclusio Pontificis à reparatione Germaniæ, quam huiusmodi Conſilium intendit, ſed in excuſationem TOTIVS iugi Apoſtolicæ iuriſdictionis per TOTVM dictum Imperium collimat. Quod autem dictum Conſilium tam IMPIE & TEMERE Sedem Apoſtolicam impetat, ex eo prouenit, quod aliqui in illo ſint dictæ Sedi peſſime affecti, alij Politici, qui vt Principi applaudant, illius auctoritatem in OMNIBVS exaltare ſtudent. Nonnulli verò illorum pati non poſſunt ampliſſimam Papalem poteſtatem, & ſignanter, quod Imperialis ſit ei ſubiecta, libenterque vellent, vt Summi Pontifices ſecundum priſcum morem Imperatoribus ſubeſſent: & forte aliqui ibidem non deſunt, qui ſub larua Catholica hæreſin in corde fouent. In eodem Conſilio eſt Abbas quidam Monaſterij Cremſmünſter vulgo nuncupati, profeſſus olim Ciſtertienſis, & nunc Ordinis S. Benedicti.* Neminem iam vſque eo hebetem & obtuſum temere inuentum iri arbitror, quin veriſſimam & iuſtiſſimam eſſe agnoſcat iſtam Benedictini illius Sacerdotis epicriſin ſeu Cenſuram: *Hîc nempe hominibus talis eſt cauſa, vt niſi cum optimorum demigratione ſit coniuncta, nulla putetur: diſcordias inter ſuprema Reipubl. Chriſtianæ capita ſeminare credunt eſſe patrocinari veritati, quam ſaluam eſſe negant, quãdiu Principes iſti inter ſe non colliduntur. Hoc eſt flammas in Europa ſuſcitare* (ſicut gloriantur Patrem Societatis Ignatium eſſe illum, de quo CHRISTVS dixerit, *Veni ignem mittere in terram*) *hoc eſt ſchiſmatis vicina iacere fundamenta: hoc eſt Claßicum in Aulis Principum canere, hoc eſt, Pontificem Maximum & Imperatorem Auguſtiſſimum inter ſe committere.*

Atrociſſima contumelia in Cæſarem omnesq; eius Conſiliarios.

Edictũ Cæſaris Pontifici inuiſum reddere conantur.

Cæſaris Cõſiliarios impietatis & temeritatis erga Pontificem inſimulant.

Eosq; in hæreſis ſuſpicionem vocant.

Sunt improbiſſimi famæ alienæ depeculatores.

Et Europæ incendiarij,

Schiſmatis auctores.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Tertium Hydræ caput Pontificis circumuentio.

TErtium Hydræ caput fuit circumuentio Pontificis & Romanæ Curiæ, quibus manifesto mendacio imposuere, quasi *OMNIA ferè Germaniæ Monasteria*, quæ Protestantes Catholicis restituere iussi fuerant, *vel sub ruderibus iacerent, vel solo penitus aquata essent*, adeoque non nisi *quamplurimis annis & innumeris sumtibus reædificari possent*. Itaque si Monachorum Ordinibus restituantur, vt ea instaurent, & Religiosam in illis disciplinam obseruent, populosque Verbi & sacramentorum administratione ædificent: eas neque id facturos, & *insuperabilibus illis difficultatibus legitime apud omnes excusatos futuros esse*. Sed si fundi eorum Iesuitis transcribantur, nullam in eis moram fore, quin statim ad operam animabus nauandam docendamque iuuentutem accingantur. Hoc ipso autem meriti fuere, vt cum Anania illo sacrilego ex Petri ore audirent: *Cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Vide Astri pag. 140.

Deo, non hominibus mentiũtur.

Quartum Hydræ caput infamia omnium veterum Ordinum Religiosorũ.

Quartum caput fuit infamatio omnium veterum Ordinum Religiosorum, quod non hic aut ille Monachus, sed *ipsi Ordines Dei vineam sibi commissam ipsi exterminauerint, quod domos orationis in latronum speluncas conuerterint, quod multo maius, quam vllum genus hominum, Ecclesiæ damnum intulerint, quod hodie quoque Monasterijs Germaniæ sint vlcera, vulnera, putredines, homines otiosi, ignaui, inutilia terræ pondera, ventres pigri, stupida pecudes*, qui sibi ipsis consulere nesciant, sed *cum Spiritus renouationisque quiete vacare volunt, ad Collegia Iesuitarum se conferre necesse habeant*: ac propterea *Pontificem & Cæsarem in conscientia obligari*, vt Monasteria non Ordinibus restituant sed in societatis Collegia conuertant. Quam scelerate vero & impudenter sic in veteres Ordines mentiti fuerint, argumento sit, quod magni nominis Iesuita Postdamus Conzen in Politici sui voluminis lib. 6. cap. 11. hoc sanctitatis testimonio eos prosequi non dubitauit: *Veteres familiæ Religiosorum pristinam integritatem rigoremque receperunt, & in dies magis magisque efflorescunt, magna spe meliorum temporum, cum tam sancta, fortia, Deo sacratissima* (Monachorum) *pectora caliginoso sæculo monstrent contemnere sæculi pompas, & sese pro nobis apud Deum interponant.*

In quos scelerate eos mentiri.

Ipsa eorum confessione demonstratur.

Ex oculato testimonio Ducis Bavariæ.

Horum similia oculis comperta testatus fuit serenissimæ & sanctissimæ memoriæ Princeps Guilhelmus Bauariæ Dux suis ad fratrem Ernestum Electorem Coloniensem literis, in quibus erat: *Nuper in Suevia maiorem partem, & præcipuorum quidem Monasteriorum meis ipse oculis tali modo reformata & in tam egregio statu vidi, vt magna inde lætitia cor mihi perfusum fuerit.* Quo-

vit. Quoties ad eiusmodi bene reformatum Monasterium deueni, visus mihi sum videre vere priscam Regulam & veterem Zelum ac pietatem, sicut sine dubio sub ipsa fuit initia, quando fuerunt instituta, & sicut in veteribus libris descriptũ inuenitur. Et adhuc quisquã dubitabit, quin Iesuitæ plus quã quisquã alter mortalium audire meruerint illam Dei expostulationem Psal. 49. *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem* (Monasteriorum) *currebas cum eo, & cum adulteris* (*verbum Dei adulterantibus, & in astutia ambulantibus, nec ex sinceritate sicut coram Deo loquentibus*, 2. Corinth. 2. & 4 cum his ergo) *portionem tuam ponebas Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnauit dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ* (Ecclesiæ) *ponebas scandalum.*

Dei ad versus Iesuitas sententia.

CAPVT XXV.

Quintum Hydræ caput.

Contumelia in sedẽ Apostolicam, multosque laudatissimos Pontifices.

Et contemtus dirarum Pontificiarum.

QVintum Hydræ caput fuit infamatio sedis Apostolicæ & complurium Romanorum Pontificum, qui Diplomatis suis & epistolis decretalibus Monachos Regulæ ac præscripto S. Benedicti satisfacere, & *ad salutis profectum tendere* testantur ac pronunciant, si tribus immo etiam si quatuor cuiusque hebdomadæ diebus quacumque carne vescantur, quemadmodum videre est in literis Innocentii III. Clementis V. Nicolai IV. Benedicti XII. & Clementis VII. quod illi testimonium & sententiam horribili illo Pontificiæ sanctionis Carmine muniunt: *Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, constitutionum, declarationis, &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se nouerit incursurum.* Iesuitæ tamen isti comminationi non aliter ac bruto fulmini strenue oppedere, & exemplum aliis ad cõtemnendas Pontificias diras se ipsos præbere non dubitant, dum in *Placida Disceptatione* sua pag. 22. hac ipsa de causa Pontifices ex secrationi ac maledicto ita subiiciunt: *Si in exsecratione scit & maledicto, qui mutant intentiones fundatorum, qui Monasteria condiderunt, nescio quomodo* (Pontifices) *salui esse valeant, qui eas nulla Ecclesia aut publica necessitate mutarunt. Dicent, Vsu & consuetudine sic fieri solet* (vt carnibus vescamur) *dispensatum est. Non repugno. Vsus edendi Regulam vicit, intentionem fundatoris mitigauit: dispensatio sustulit. Et causa qua?* (cur Pontifices dispensarent: vtrum Necessitas, an publica vtilitas? Nequaquam, sed tantum) *vt Monachi*

Dicunt, Papas esse in exsecratione & maledictis.

Quia pote-

nachi mollius haberentur. Similiter pag. 16, vitio vertunt Pontificibus, *quod Regulas fundatoris S. Benedicti concupiscentiæ Fratrum attemperauerint, vt iam Regulam Benedicti non obseruent, professione & vita pugnante.* At enim sine necessitate aut publica vtilitate legibus quemquam soluere, ne vel Deo, vel hominibus datam seruare fidem necesse habeat, hoc S. Bernardo iudice est *Bestialem esse, nec Dispensare, sed Dissipare* siue, Lupi opus facere. Et istam *potestatem* Pontificis *potestatem ius tertii* (quanto magis Dei?) *sine causa tollentis, esse iniuriosam, & contra legem diuinam & naturalem, ciuilem & canonicam,* adeoque *vere potestatem Diabolicam*, Canonum consulti ipsis quoque Iesuitis assentientibus disertim pronũciant. Quid vero dici tandem cum maiore contumelia & ignominia in tot Pontifices poterat, quam eos Diaboli, non Dei potestate vsos esse, & Ecclesiam non congregasse, sed dissipasse, nec ædificasse, sed destruxisse, & temeraria Dispensatione causam fuisse, cur Religiosa disciplina in Monasteriis relaxata latam Lutheranismo aliisque Hæresibus fenestram aperiret? quod Iesuitæ eodem libro inuidiose insimulant.

state abusi fuerint in destructionem.

Sine necessitate aut publica vtilitate dispēsantes.

Et Hæresi Lutheranæ fenestram aperuerint.

Capvt XXVI.

SExtum Hydræ caput est indigna Cæsaris optimi circumuentio, cui Confessarius suus, vt complura Benedictinorum & Cistertiensium cœnobia Societati conficeret, duplici mendacio callide subrepsit & imposuit. Vnum fuit, Abbates Hasfeldensem & Cæsariensem nomine congregationum seu familiarum religiosarum Bursfeldensis & Cistertiensis *omnia Virginum, quædam etiam obscuriora virorum Monasteria*, quæ ipsorum Ordinibus Protestantes eripuissent, Societati Iesu ad Collegia & seminaria condenda *sponte ac liberaliter obtulisse.* Alterum, id eos fecisse tamquam dictarum Congregationum *Commissarios cum plenissima potestate ad Cæsaris Regiam missos.* Sed in vtroque eum scientem ac volentem mentitum fuisse, iidem illi Abbates priuatis publicisq; tabulis Deum Diuosque omnes contestantur, eique dicam grandem ad Christi iudicis tribunal denunciant, Episcopus denique Viennensis, quo ille teste id gestum scripserat, se vero præsente conscioque quicquam eius gestum constanter abnegat, sed nec Abbates illos quicquam alienandi facultatem vllam secum attulisse, quippe quibus satis constaret, nihil aliud à Congregationibus suis mandatum fuisse; nisi vt omnia Ordinum suorum Monasteria restitui postularent, quæ omnia in eiusdem Astri Quæstione septima luculentissime demonstrata Lector

Sextum Hydræ caput circumuentio Cæsaris Cui Confessarius suus mentitus fuit de Abbatibus Ordinum Procuratoribus.

Cæsar à cōfessario circumuentus Monasteria multa attribuit Iesuitis. ta Lector inueniet. Cæsar tamen fide confessario suo habita Fridlandiæ Duci & Comiti Tillio statim mandauit, vt in Iesuitarum vsus complura dictarum Congregationum cœnobia in diuersis Germaniæ regionibus siue Circulis occuparent; id quod & factum fuit, atque alicubi Iesuitæ magno cum tumultu & terrore nobilium virginum domicilia ingressi, cumque illæ migrare iussæ reniterentur, parum amanter medias mulieres vlnis circumplexi foras extulerunt, & ex suis exædificatas ædibus in malam rem maximam facessere iusserunt, nihilo tamen feliciori euentu, quam qui Mich. 2. & 3. *Prophetarum* illorum familiæ prædictus legitur, *qui seducebant populum Dei in pecunia diuinantes, qui* tamquam bulimia & Lupina alienorum bonorum fame rabidi *mordebant dentibus suis*, & Ezechiæ pio quidem Regi, sed otiosa & inerti innocentia nimium confiso, Aulæque eius optimatibus nihil quæstu lucroque prius habentibus *pacem prædicabant*, nec nisi secunda omnia augurabantur, *qui concupiscebant agros & violenter tollebant, & rapiebant domos, & calumniabantur Viros & hæreditatem eorum.* Sed nec Mulieribus parcere solitos, quamuis illæ tempus omne diuinis laudibus decantandis transmitterent, ita Deus queritur: *Mulieres populi mei* (siue negotium publicū gerentes) *eiecistis de domo deliciarum suarum: à paruulis earum tulistis laudem meam in perpetuum*, vt pro nocturna ac diurna earum psalmodia nūc puerorum vagitus et eiulatus sub plagosis pygoribus vapulantium audiatur, quorum Prophetarum cum ita sint Iesuitæ factis suis similes, vt ex eodem puteo aqua aquæ similior peti nequeat, nihil quicquam dubii relinquitur, quin non minus ad ipsos ista Dei interminatio pertineat: *Ecce ego cogito super familiam istam malum, vnde nō auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi* (nec diu nobis de cæsare mendaciis circumscripto gratulandi causam habebitis) *quoniam tempus pessimum est.* (in quo hæc lugubris passim audietur nænia) *Depopulatione vastati sumus. Pars populi mei commutata est* (prouincia veterem dominum nouo mutauit) *quando recedet à me, qui reuersus est vt regiones nostras diuidat*, agrosque nostras militibus suis assignet? *surgite & ite hinc* (alienarum domorum subsessores) *quia non habetis hic requiem*, nec est, quod vobis diuturnam in sacrarum virginum domiciliis commorationem aut Eberndorfiensem *Quietis domum* polliceamini.

Sicut quondam fecerūt auari Propheta Regis Ezechiæ.

Alienarum hæreditatū captatores.

Qui fæminas Dei laudatrices domibus suis eiecerunt.

Quorum euentus manet Iesuitas.

Tamquam causam publicarum calamitatū.

Qui Virgines sacras ex Monasteriis exædificarunt.

CAPVT XXVII.

Septimum Hydræ caput.

SEptimum Hydræ caput est impostura & circumuentio Lectorum, quibus summa vi persuasum voluerunt, *Iura Pontificia & Cæsaria*

OMNES-

OMNES QVE *sapientes ita sentire; Monasteria Germaniæ* ab hinc sexaginta annos à Protestantibus occupata *esse exstincta, eaque causa nemini de iure debita, sed ad Pontificis arbitratum liberamq; dispositionem deuoluta*, ita vt ea Pontifex in alios, quam quos eorum conditores cum Ecclesia pacti sunt, vsus conuertere quibusque velit donare possit, quod contra in eodem Astro pag. 118. & passim alibi luce meridiana clarius fit, NEMINEM vnquam ita sensisse & docuisse, eamque doctrinam, quam Iesuitæ *iuris regulam, & indubitatam, receptissimam Canonicamq; esse* asseuerant, perspicue Canonum sanctionibus & omnibus earum Interpretibus aduersari, neque ante exortam istam controuersiam à quoquam mortalium auditam, hoc amplius autem ab ipso Cæsaris Confessario aliisque Iesuitis consultatione ad Cæsarem scripta impugnatam ac dãnatam fuisse, sicut eam legentibus Astri pag. 288. Manifeste apparet. Optimo proinde iure dici potest, quod etiam cum animæ meæ periculo ad horrendum supremi Iudicis tribunal testificari paratus sum, nihil esse causæ, cur quisquam credat, magis aut Lutherum aut Caluinum de Ecclesiæ Catholicæ doctrina & fide mentientes, quam Iesuitas de sacrorum Canonum sententia mendaces & impostores se præbuisse, nec vmquam in vniuerso terrarum orbe inuentos fuisse, in quibus pariter atque in Iesuitis impleta cerneretur illa S. Petri prophetia: *Erunt in nobis Magistri mendaces, cor exercitatum avaritia habentes, qui in avaritia fictis verbis de vobis negatiabuntur.* Væ autem omnibus illis, præcipueque Principibus, quorum animas quæstui habent. quos etiam considerare & *disponere sermones in iudicio* par est, quam Christo pro se rationem reddituri sint, quod ab hominibus Auaritiæ & tam multiplicis fraudis atque imposturæ compertos & conuictos tam parum cauerint, eisque animas suas tanta cum securitate credere perrexerint, cũ scriptum scirent: *Auaro nihil est scelestius. Hic enim & animam suam* (quanto magis animam proximi) *venalem habet* (Diabolo eam exiguo lucro licitanti addicturus) *quoniam in vita sua proiecit intima sua*, id est, omnia misericordiæ viscera ex animo eiecit, vt nec sua illum, nec aliorum animæ quicquam misereſcat, Eccli. 10. O Principes, ò Principes, *miseremini* saltem vos *animæ vestræ placentes Deo*, Eccli 30. Placebitis autem *seruientes ei in timore*, nihilque negligentes. *Beatus homo, qui semper est pauidus*, Prou. 28. *Homo sapiens, in OMNIBVS metuit, & in diebus delictorum attendit ab inertia*, id est, quamdiu in eo est statu vt possit delinquere, animaduertet omnia, nihilque negliget, Eccli. 18. *Qui timet Dominum, nihil negligit*, Eccle. 7. *Qui* autem *negligit viam suam, mortificabitur*, Prouer. 19. *Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius ducunt ad mortem. Vir iniquus*

Mendaciũ de communi Iurisconsultorum sententia de Monasteriis vacantibus.

Cum tamen nemo vmquam ita vt ipsi senserit.

Cum etiam ipsi Iesuitæ paulo prius contrarium docuerint.

Iesuitæ non minus mendaces, quam Lutherus aut Caluinus.

De Principum animabus in auaritia negotiantur.

Principes in conscientia obligantur à Iesuitis sibi cauere.

Si enim sunt Auari, sine dubio nihil illis potest esse sceleratius & crudelius.

Principes debent timere.

Inertiam & negligentiã fugere.

Et Conſiliarios maxime Confeſſarios diligentiſſime explorare. Quia illi ſunt pleni dolo. Ad ſuum quæſtum omnia reuocant.

(ſiue Auarus, *nihil enim eſt iniquius, quam amare pecuniam*, Eccli. 10.) *lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam*, Prouer. 16. *A Conſiliario* proinde *ſerua animam tuam* (maxime vero ab eo, cui conſcientiæ credis arcana) *prius ſcito* (& diligenter inquirito) *quæ ſit illius neceſſitas*, quid vel ſibi, vel ſuis putet neceſſarium, Eccli. 37. quia *Inuenti ſunt in populo meo impij, inſidiantes quaſi Aucupes* (alienorum prædiorum & fundorum captatores) *laqueos ponentes & pedicas ad capiendos Magnates. Sicut decipula plena auibus* illicibus, *ſic domus* aut Collegia *eorum plena dolo. Ideo magnificati ſunt & ditati, incraſſati ſunt & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſime. Cauſſam viduæ non iudicauerunt* (non eis curæ fuit, vt Eccleſiæ ſponſo viduatæ, hoc eſt, Epiſcopo vel Abbate, alterius ſponſi fidei ac tutelæ mandarentur, ſed ipſi earum doti inhiarunt) *cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt* (quorum patrimonium ſunt opes Monaſteriorum) *Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea?* Ierem. 5.

CAPVT XXVIII.

Octauum Hydræ caput. Suaſio ſacrilegii & Eccleſiaſticorum bonorum in alios vſus transferẽdi. Idq; propter iniuſtum lucrum Societatis.

Cæſar profeſſus fuerat ſe curaturũ vt Monaſteria iis reſtituerentur, pro quibus condita fuerant.

Propterea à Confeſſario

OCtauum Hydræ caput eſt ſuaſoria Sacrilegii, quoniam contenderunt *Pontificem & Cæſarem in conſcientia obligari, vt vltimas defunctorum voluntates nulla neceſſitate reſcindant irritaſque faciant, & bona ac prædia*, quæ certis pactis legibus pii homines Eccleſiis donarunt aut teſtamento reliquerunt, *in alios vſus conuertant*: non quod vlla eius rei ſit neceſſitas, aut magna & euidens Eccleſiæ vtilitas (quo ſane caſu Pontifici voluntates teſtamentorum pro poteſtatis plenitudine mutare fas eſt) ſed quod propter magna ſocietatis merita æquius ſit Ieſuitas alienas hæreditates cernere, quam veteres Monachorum Ordines ad Patrum ſuorũ patrimonia, id quod diuinæ humanæq; leges iubẽt, poſtliminio perruenire. Cæſar tamquã iuſtitiæ patronus & Eccleſiarum aduocatus Romã ſcripſerat, ſe ſaluo Principis & Aduocati officio permittere non poſſe, *vt Pontifex Monaſteria ex Proteſtantium manu vindicata aut vindicanda ſub prætextu maioris boni ab iis Religioſorum Ordinibus, quibus à primæua fundatione conſecrata fuerant, ad alios Ordines transferret*: ſed omnino ſibi curandũ eſſe, vt ſuo quæque Ordini reſtituantur. *Coram Deo enim vix ac difficulter excuſari poſſe, ſi ſimiles in iure diuino ſtabilita fundationes contra Fundatorum mentem & inſtitutum aliò conuertantur & applicentur: prout & in iure communi ſalubriter ordinatum & cautum, ne defunctorum vltima voluntates & diſpoſitiones vllatenus mutentur, ſed in ſtatu ſuo inuiolabiliter relinquantur.* I-

ſtam

ſtam Cæſaris profeſſionem & conteſtationem Confeſſarius eius, ſi quicquam in eo fidei, religionis & conſcientiæ fuiſſet, non modo comprobaſſet, ſed vltro etiam laudaſſet, eoque nomine plurimum ei gratulatus eſſet, maxime cum ipſum Pontificem & vniuerſum ſenatum Apoſtolicum tantam ei gratulationem feciſſe ac gratias egiſſe, & per Oratorem eius Principem Sabellum; ſimiliterque per Nuncium Apoſtolicum promiſiſſe ſciret, nihil aduerſus illam eius voluntatem in Monaſteriorum cauſa Romæ tentatum iri.

ſuo laudari merebatur. Sicut à Papa et Cardinalibus eo nomine laudatus fuit.

Ille autem quod videret per illud Cæſaris propoſitum ſeu *reſolutionem* ſpem omnem de multorum Monaſteriorum opibus & honorum prærogatiua Societati ſuæ lucri faciēdis irritam fieri & euaneſcere, aliquid breuibus Gyaris & carcere Acherontico dignum faciendum ſibi arbitratus eſt, vt ne tam optata rei ex vſu Societatis & Patriarchæ ſui voto gerendæ ſibi efflueret occaſio, cui ſimilem proximis centum annis numquam redituram omnes vno ore Socii fremebant. Cæſarem igitur libello monuit, *in literis eius Romam miſſis propoſitiones contineri ſcandaloſas, temerarias, & erroneas, cū fidei Catholicæ principijs non ſatis cohærentes, plurimumq; iuri & auctoritati Pontificis detrahentes*: ac propterea ad officium eius pertinere, *vt eas propoſitiones contra mentem ſuam obreptitie in literas illas incaute à non nemine intruſas fuiſſe* ac ſibi diſplicere teſtatum faciat. Aliter ſi faceret, *ac pertinaciter vellet errorem defendere grauiorem ei cenſuram* (id eſt, excommunicationem) *ab Apoſtolica ſede metuendam eſſe.*

Ille autem Cæſarem acerrime propterea reprehendit.

Et Excommunicationem ei denunciauit.

Quis iam in iſto Confeſſariorum genere nō agnoſcat illos pij regis Ezechiæ & Principum eius *Prophetas*, qui vt paulo prius demonſtraui, *mordebant dentibus ſuis & prædicabant pacem*, Si in mulierum Dei laudes canentium domos deliciarum immiſſi eſſent: *quis autem non dediſſet in ore eorum quippiam, ſuper eum ſanctificabant prælium*, ac tamquam *diuini oculi pupillam læſiſſet, ipſi æternæ ſalutis diſpendium, eius ſimiliter poſteris Deum malefactorum vltorem* comminabantur, quomodo Moguntinæ prouinciæ Ieſuitas Cæſaris Conſiliarios ipſis ad Monaſteriorum adeptionem non ſuffragantes terruiſſe, in Anatomia Societatis pag. 95. ipſis eorum verbis docetur.

Sicut pſeudoprophetæ regis Ezechiæ.

An vero hoc non eſt *magiſtrorum* illorum *mendacium* opus, *quos in populo dei futuros & fictis verbis in auaritia de hominum animabus negotiaturos* Petrus prædixit? Non eſt hoc illud ipſum facere, quod pſeudoprophetis Deus ſic exprobrat Ezech. 13. *Mœrere feciſtis cor iuſti mendaciter, quod ego non contriſtaui, & interficitis animas quæ non moriuntur?* Cum enim Cæſar iuſtiſſime faceret, pariterque diuina & humana iura ſancte coleret, ac propterea Deo ipſi placeret, ab eiuſq; Vicario magnis ferretur laudibus, bellus iſte Confeſſarius mœrorem

Et regis Sedechiæ.

 di offerre

ei offerre, & animam eius quæ non moriebatur interficere, id est, qui nihil morte dignum admiserat, eum lethalis culpæ reum agere nō pertimuit. Cui sane est, quod sodales sui gratulentur, eius mansuetudinis Principem ei obtigisse, cuius animæ *venenum aspidum sub labijs* ascondi-tum propinare, id est, sacrilegium suadere impune posset. Alio enim præditus ingenio ac more tanti sceleris auctorem aut suasorem merito mactaret infortunio, aut saltem istis Christi verbis à se repelleret: *Vade post me satan, scandalum es mihi, non enim sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Sic quippe visum est spiritui sancto & Episcopis cum Symmacho Pontifice in sexta synodo congregatis sancire: *Valde iniquum & ingens sacrilegium est, vt quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel pro salute vel requie animarum suarum vniusquisque Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quibus hæc, seruare maxime conuenit, Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus in aliud transferri vel conuerti permittatur.*

Cæsaris Cōfessarius crucem merebatur. Quia Cæsari auctor fuit ingentis sacrilegij.

CAPVT XXIX.

NOnum Hydræ caput est contumax & seditionabunda aduersus Imperii Romani fulcra disputatio, qua vel ab infestissimo Cæsaris & Imperii hoste haud fere quicquam æque pestiferum excogitari poterat. Sunt autem duo eiusmodi fulcra, Imperii statum & pacem ac felicitatem publicam sustinentia. Vnum est Cæsaris auctoritas, alterum eiusdem summa iuris in Imperio reddendi & sanctionem de Religionis pace interpretandi & exsequendi potestas, quorum vtrumque inuiolatum ac velut sacro sanctum haberi salutis omnium vehementer interest. Auctoritatem Cæsaris dupliciter Iesuitæ imminuisse inueniuntur. Primum enim tales in eum culpas contulerunt, quibus odium illi & contemtum conflari necesse erat, quæ duo principes sunt omnium imperiorum euertendi causæ, sicut vicissim Amor & Reuerentia seu Respectus Principatui robur afferunt saluumque præstant. Odium Cæsar in se commoueat necesse est, si ea credatur fecisse, quorum causa grauiore Pontificis censura notari, siue diris deuoueri & sacris interdici meruerit. Ista quippe non nisi postremæ & ad summum perductæ malitiæ pæna est: ac propterea Iesuitæ *Imperatorem aut Regem à Papa excommunicatum & ipso regni iure excidere Tyrannumque fieri, ac sine vllo piaculo interfici posse* docent, quæ vna est Deuterose on illarum, propter

Nonum Hydræ caput Doctrina seditiosa Imperii pacem turbare idonea. Duo Imperii fulcra. Iesuitarum molitiones contra auctoritatem Cæsaris. Odium ab hominibus in eum concitant. Dum eum dicunt meritum vt excommunicetur &

Imperium ei abrogetur.

pter quas irritum fit Dei præceptum de reddendo Regibus honore debito. Itaque Tursellinus Iesuita in sua Historiarum epitome nihil inter sententiam anathematis & regni abrogationem facit discriminis: *Bonifacius* (inquit) *Octauus Philippo Pulchro Galliæ Regi iratus eum anathemate percussum regni iure spoliauit. Et Gregorius XIV. Henricum Regem Nauarræ anathemate notatum regni iure priuauit.* Atqui Cæsarem anathemate feriri meruisse perspicue Iesuitæ contenderunt. Vt enim supra monui, Confessarius eius nulla vsus circuitione denunciauerat, si maneret in sententia, quam suis ad Principem sabellum literis complexus erat, & Pontificis ius ac potestatem in Monasteriis suo arbitratu aduersa conditorum voluntate alio transferendis circumscribere atque impedire pergeret, *grauiorem ei sedis Apostolicæ censuram* siue excommunicationem *fore metuendam.* Ille vero tantum abfuit, vt facti eum pœniteret, Pontificique à se intercessum nollet, vt ista Confessarii sui comminatione tamquam cassa terricula strenue contemta a. d. 25. April. anno 1630. nouis ad eundem sabellum datis literis, priores literas ratas esse voluerit, iteratoq; ei totidem verbis propositi sui cõstantiam testatus fuerit, *jam ante nobis constat de enixa voluntate ac resolutione nostra, quæ est, vt Monasteria ei loca sacra è manibus aduersariorum vindicata non nisi ijs Ordinibus, quibus à primæua fundatione consecrata fuerint, restituantur. Nec dubitamus vos istic quoque diligenter curaturos, vt iustißimæ illi intentioni nostræ stetur, nec quicquã in contrarium à Pontifice concedatur. Attamen vt ipsi Ordines magis magisque agnoscant, Imperialem nostram solicitudinem sibi quacumque occasione constare* (nec Iesuitarum machinis à proposito dimoueri) *iterato vobis committimus, vt inuigiletis, ne & in hoc particulari præpropere quicquam Romæ statuatur, quod Ordinum iuribus quoquo modo præiudicare poßit.* Iam vero de ista Cæsaris in proposito suo tamquam iusto constantiam Confessarii eius iudicium habemus, in libello eius ab ipsis Iesuitis publicato, eam nimirum esse *pertinaciam in propositionibus temerariis, erroneis & scandalosis, cum fide Catholica pugnantibus & iuri ac potestati Pontificis detrahentibus.* Iesuitæ similiter in Iusta defensione sua postquam Cæsaris perseuerentiam, siue vt ipsi interpretantur, pertinaciam ex istis aliisque eius literis compertam habuerunt, adhuc tali eum censura notare non sunt veriti: *literas eius à iure prorsus alienas esse, & veritati & sacris canonibus aduersari, in ijsq; ij sũ sedis Apostolicæ auctoritatem ac iura imminuere, Ecclesiasticas causas ad forum suum trahere, Pontifici leges præscribere & Ecclesiasticam immunitatem lædere.* quæ omnia nihil aliud habent argumenti, quam Cæsarem esse Tyrannum & anathemare notari atque Imperio exui dignum, quippe qui nec à Confessario monitus errorem mordicus retinere dubitet. Cuiusmodi

Propter pertinaciam in opinionibus erroneis contemta Confessarii admonitione.

in simulatione quin Odium in Cæsarem commoueatur, nemini nisi sensus communis penitus experti dubium esse potest.

Caput XXX.

Iesuitæ Cæsarem in cōtemtum adducunt.

Sed quoniam monente in Politicis Aristotele *multo plura Imperia Contemtus, quam Odium euertit*, longe atrocioris iniuriæ & ad labefactandum Imperii statum potentiora censeri debent, quæ Iesuitæ ad Contemtum Cæsaris pertinentia in totius Orbis conspectu designare ausi sunt. Primum Confessarius suus ei oscitationem & in maximi rebus momenti negligentiam libello exprobrat, *quod literas Romam dederit cum mandatis ei rationibus non tantum temerariis, erroneis, scandalosis, iniustis & impiis, sed etiam menti ac voluntati eius è diametro oppositis, quas certum sit à non nemine Ministrorum eius obreptitiè in literas illas fuisse intrusas.* Deinde autem cum Cæsar nouis, vt dixi, literis Romā & ad plures Episcopos datis testatus esset, se priores illas scripsisse ratasq; habere, *& in enixa voluntate sua illis expressa constanter permanere*, inuenti sunt Iesuitæ tanta affecti audacia, vt in Iusta defensione sua mendacii eum insimularent, omninoq; ipso ignorante & inuito eius argumenti literas scriptas fuisse cōtenderent. *In epistolas* (inquiunt) *ad Oratorē Cæsareum & quosdam Dominos Episcopos datas præter & contra Cæsariæ Maiestatis scientiam ac voluntatem insertum est, eum salua conscientia Pontifici permittere non posse, vt Monasteria Episcoporum mensis vniantur, aut in Commendam dentur, aut pensionibus grauētur, aut alteri Ordini, quam cui dicata sunt, sub prætextu maioris boni concedantur: quæ omnia sunt falsissima. Nā Cæsar talem mentem numquam concepit, sed vnus aliquis homo imprudenter & temerarie ea præter aut contra mentem suæ Maiestatis, in literas intrusit.* Iam Lectoris esse volo iudiciū, quicquāne cum maiore Cæsaris contumelia dicià quoquā potuerit. In Astro quidem inexstincto pag. 188. hanc inuenio epicrisin, quam haud vereor, ne ipse Imperator verissimam & æquissimam esse non agnoscat: *Hac in re accusat optimum & Augustissimum Principem de crassa & supina negligentia & incuria, quod huiusmodi rationes ad Oratorē & alios sæpius propria manu subscribens non attenderit, quid nam subscriberet: non interrogauerit, quid literæ solito prolixiores continerent: quod eas rationes subscribens numquam quam viderit, numquam legerit, de iis nihil vmquam antea audierit: quod subscripserit errores, falsa, scandalosa, cum principiis fidei Catholicæ non satis cohærentia: quod in Aula sua assumat, amet ac remuneretur homines, vel etiam Consiliarios pessimos, qui contra eius voluntatem epistolas concipiant, intrudant tam enormia, qui infideliter ipsi referant, qui secreti senatus, vel Aulici Consilii decretis*

Publice & priuatim oscitantiā & supinam negligentiā ei exprobrātes.

Atq; etiam Mendacii eum insimulantes.

Atrocitas iniuriæ Cæsari à Iesuitis factæ.

cretis contraueniant, qui erronea, falſa, ſcandaloſa, libertati Eccleſiaſtica contraria ſubſcribenda porrigant, qui ſigillo Cæſaris abutantur, taliaq; roborare, & falſariorum inſtar Cæſarem Principes Imperij, alioſq; fallere temerarie præſumant. Hæc omnia ab Imperatore ſciri ac tolerari, eumq; adeo extra culpam eſſe minime poſſe. Vt enim Prouer.22. ſcriptum eſt: *Gloria Regum eſt inueſtigare ſermonem, & præeſſe in ſollicitudine* (Rom.12.) nihilque negligere, quod ad populorum ipſis commiſſorum ſalutem pertineat. Eos quippe Deus ſuos in terris Vicarios conſtituit, vt ſint *Terrori mali operis, vindices in iram ei qui malum agit, vt quiſquis malum fecerit, eos timeat*, Rom. 13. Vult ergo eos Leones eſſe, quibus nemo barbam impune vellat: non autem Ouiculas, quos quiſquis velit ſuo arbitratu vſque attondeat. Sic enim ipſe ſpiritus ſanctus docet Prouer.16. *Indignatio Regis nuncij mortis: & vir ſapiens placabit eam.* Prouer.20. *Sicut rugitus Leonis, ita & terror Regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam. Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Diſſipat impios Rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.* Prouer 24. *Time Dominum & Regem, & cum detractoribus* (Regis) *non commiſcearis: quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?* Eccl.10. *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti* (ſeu potenti) *quia & auis cæli portabit vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit ſermonem*, id eſt, numquam homines deſunt, qui Reges & Principes, non aliter quam Aues rancida cadauera odore perſequantur, & in Aulas eſuri conuolent. Iſti quæ aduerſus Reges in ſinu eorum effuderas tutiſſimiſque auribus depoſuiſſe viſus fueras, gratiam eorum aucupantes enunciabunt, tibique ruinam & perditionem afferent. Reges enim officii memores etiam eos, qui de priuatorum fama detrahunt, ſeuere multant, nedum illi ſuos obtrectatores impune auferre ſinant, quod de bono nomine ad bene ex vſuque publico imperandum tam ipſis neceſſario detraxerint. Dauid certe *vir ſecundum cor Dei* (1 Reg.13.) *qui pauit Iſrael in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos* (Pſal.77.) quod Regem erga detractores, & peccatores terræ, ſeu publice noxios, nec ſibi tantum peccantes, officium ſit, ſuo eos exemplo hoc modo docet Pſal 100. *Detrahentem in ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar* (ſiue vt eſt in Hebræo, *interficiebam*) *ſuperbo oculo & inſatiabili corde* (Hebraice, *lato corde*) *cum hoc non edebam* (nam *latus corde iurgia concitat*, ſiue vt eſt in Græco, *Vir inexplebilis concitabit litem*, ſicut nunc Ieſuitarum exemplo cum maxime apparet, Prouer.28.) *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit dolum* (ſicut Ieſuitas multipliciter feciſſe oſtenſum eſt) *qui loquitur mendacium, non firmabitur in conſpectu oculorum meorum* (nemo autem periculoſius vm-

Reges decet eſſe Leones non Veruſces.

Nemo ſubditorum impune eis detrahere debet.

A Dauide Reges officium debent diſcere.

quam

quam mentitus est, quam Cæsaris Confessarius eiusque participes) *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Huius exemplum parum imitatus fuerat rex Ezechias, sed suæ sibi pietatis conscius & multiplici diuinæ erga se beneuolentiæ documento confisus, in munere suo somniculosius versari cœperat, & ipso interea *in domo Domini psalmos suos decantante,* Principes eius, Aulæque proceres, per occasionem *ædificandæ arcis Sion,* Templique multo opere aduersus externos hostes muniendi iniquissimis exactionibus populum deglubebant, nec minus auarissimi *Sacerdotes in mercede docebant,* et inexplebiles *Prophetæ* seu Confessarii *in pecunia diuinabant ac Mulieres* cantatrices, Dei laudibus vacantes, *de domibus suis ejciebant:* quibus rebus vsque eo Deus fuit offensus, vt nisi eum Ezechias & Principes acta pœnitentia placassent, vrbem Ierusalem ipsumque templum funditus euersurus fuerit, Mich. 2. & 3.

Cauere autem Ezechiæ negligentiã.

Quæ toti regno futura fuit capitalis.

Caput XXXI.

Ex quibus planissime apparet, quam indigna Iesuitarum in Cæsarẽ sit contumelia, cum in eo tantum regalis officij negligentiam libris editis incusant, vt nec ipse curæ habeat, quid de reb. longe maximi momenti ad sedem Apostolicam & ad Imperii Principes perscribat, & Ministros sua credulitate & lenitate, ignoscentia ac mansuetudine tam Otiosis animis abuti, sibique os sublinere, fucum facere & illudere patiatur, nec gladio sibi in mali operis timorem dato eorum infidelitatem vlcisci, suæque dignitati in futurum tempus consulere animum inducat: non aliter ac si esset Imperator Histricus aut scænicus, idemque parũ decenter partes sibi mandatas tractare sciret. qualia de optimo maximo Principe vel intra priuatos parietes prædicantem non facile quisquam nisi grauiter offensus ferendum sibi putaret. Iesuitis tamen verecundiæ non est in orbis terrarum Theatro sic eum ob omnium oculos ad irrisum & contemtum traducere, totq; tam ingentia in societatẽ beneficia ista noui generis contumelia remunerari, vt iam parata omnibus sit excusatio, si eis omnia Cæsaris iussa contemnere & ludibrio habere, nec mandata eius quicquã morari eisq; parere & dicto audientes esse libeat. Dicent enim: Qui ego scire possum, aut credere necesse habeo, istam Cæsaris mentem ac voluntatem esse, cum Iesuitæ, interque eos ipse Cæsaris Confessarius, non modo intra priuatos lares, sed etiam libris editis testentur & conquerantur, eum oscitare aliasque res agere, & abdicata omni

Iesuitæ in Cæsarem cõtumeliosi.

Ac si esset Imperator in comœdia.

Docent alios exemplo suo cæsarem cõtemnere, eiusque literis & mandatis refragari.

omni Reipubl. cura nullius conſcientiæ & fidei Miniſtris ſe ipſum credere & rerum ſummam permittere, ac fere quotidie literis & mandatis impia, iniqua, ipſiusq́ue menti & voluntati è diametro oppoſita continentibus nomen ſuum manu ſua ſubſcribere? Hem tibi, Chriſtianiſſime Imperator, gratiam quam tui tibi Ieſuitæ reponunt! hem, qui monitis & exemplis ſubiectos tuos *te honorificare, tibiq́ debita, timorem, honorem & tributum reddere* doceant! Nec tamen nihil eſt, quod eis pro tanto tui contemptu debere te arbitror. Faciunt enim te Dei ſimilem, vt non minus quam ille de te profiteri poſſis: *Ego Vermis ſum, & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis. quoniam circumdederunt me canes multi (canes impudētiſſimi, qui neſcierunt ſaturitatem,* Iſai. 56.) *concilium* ſeu Societas *malignantium obſedit me. Factus ſum tamquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum in circuitu, in eo dum conuenirent ſimul aduerſum me accipere animam meam conſiliati ſunt. Cogitauerunt ſupplantare greſſus meos: funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula* (Pſal. 21. 30. 54. & 139.) *Audite cœli, & auribus percipe terra, Filios enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis! blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.* Recte autem Imperator longius hoc carmen contexuerit, nec minus ſua fecerit, quæ mox Deus dictis ſubtexit: *conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Hoc enim ſi faciat, hic ei operis fructus promittitur: *Cum feceris iudicia tua in terra, Iuſtitiam diſcent habitatores terræ, Cunctus enim populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia* Iſai. 1. & 26. Deuter. 17.

Cæſar verbis Dei de contumelia Ieſuitarum conquerendi cauſam habet.

Ieſuitæ animæ Cæſaris inſidiantur.

Cæſaris eſt iniuriam iniuſtam vlciſci.

Saltem vt aliis ſit timori.

Deinde autem iniuriæ erga Cæſarem indignitatem auget Irriſio, cum edito Iuſtæ defenſionis libro in iſta eius fronte præ ſe ferunt, ſe exiſtimationem illius ac dignitatem tueri, cum tamen toto libro nihil æque habeant propoſitum atq; omni eum exiſtimatione ſpoliare, & odioſum multis (vt iam demonſtraui) cunctis vero contemptum efficere, haud ſecus atq; impij illi milites, *qui Ieſum induerunt purpura, & ſpinea corona capiti eius impoſita flexis ante eum genibus ſalutarunt eum, Aue rex Iudæorum, caput eius arundine percutientes eumq́ conſpuentes*: vt non minus Imperatori conueniat, quàm Corinthiis, quod eis Clericos *à Deo vocatos in Societatem filij eius Ieſu* facere ſolere Paulus ſic commemorat: *Libenter ſuffertis, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis accipit, ſi quis deuorat, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.*

Ieſuitæ Cæſarem palàm illudunt.

Sicut impij milites Chriſtum.

CAPVT XXXII.

ALterum Imperij Fulcrum esse dixi supremam Cæsaris in Imperio iurisdictionem, per quam iis, qui aduersus sanctionem de Religionis pace iniuriam sibi factam, seque domiciliis aut fundis euersos ac spoliatos queruntur, iudicium reddit & suum cuique tribuendum curat. Hanc superioribus demum annis nonnulli Protestantium controuersiam facere cœperunt, vt Monasteria & alia Ecclesiastica bona siue occupare, siue olim occupata retinere possent. Atque istud caput & origo fuit huius plusquam Troiani incendij, quo vniuersa pene Germania conflagrauit atque etiamnum fumat: quoniam quos sacra bonorum illorum fames inuaserat, Cæsarem controuersiarum de id genus causis Iudicem esse pernegabant, ac velut rem, quæ ad Religionem pertineret, non nisi sententia Arbitrorum ex vtraque litigantium parte pari numero lectorum amice componi oportere contendebant. Quod postulatũ manifeste iniquũ esse & exitium Imperio minari, ipsi Saxo & Brandenburgicus Electores ac plerique alij Euangelicorum Ordinum, sed & Spirensis Dicasterij Assessores, etiam qui Catholici non essent, ingenue fatebantur, ac solum Imperatorem eiusque loco & auctoritate Aulici & Spirensis tribunalis Consiliarios in eiusmodi causis iudices sedere ac iura litigantibus reddere posse agnoscebant. Nec verò alia Catholicis Germaniæ Principibus & Ordinibus Anno 1610. Fœderis ineundi causa fuit, nisi vt istam Cæsaream iuris dicendi potestatem armis tuerentur, quoniam nisi ea salua aliter maturum rei Catholicæ in Germania interitum ac funus imminere intelligebant. Et Imperator Edicto illo suo, quo Protestantes quicquid Ecclesiasticorum bonorum post cõditam Religionis pacem inuolassent, missum fieri & Catholicis restitui iussit, aliud non egit, quam quod declarauit, se legitimum istiusmodi causarum Iudicem esse, cuius sententia & sanctionis illius de pace interpretatione omnes stare oporteat. Nec verò Protestantes quod contra afferrent, curq; ius Cæsaris circumscriptum & impeditum irent, quicquam inuenerunt, donec tandem exorta est Jesuitarum importunitas & audacia: qui quod de sacrilega Monasteriorum auiditate nihil prorsus vlli Protestantium concederent, iuris autẽ ad ea Societati suæ lucrifacienda multo minus, quam illi, haberent (quippe, qui sacrorum Canonum sanctionibus teneri se fateantur, Monasteriorum ad alios vsus conuersionem grauissime vetantibus, cum Protestantes nihil Canonas morentur, nec iis sese obligari putent, tum etiam eo-

Iesuitarum molitiones aduersus sũmã Cæsaris iurisdictionem.

Quam non minus quã quidã Protestantium oppugnant.

Qui eo pacto præsens Germania excitarunt incendium.

Velut Saxo & Brandẽburgicus iã abhinc 40. annis timuerant.

Cæsar Edicto suo professus est se in causis Monasteriorum esse legitimum Iudicem.

Iesuitæ minus iuris habent ad Monasteria, quam Protestantes.

rum se filios & hæredes prędicent, qui Monasteria condiderant, posterisq; suis ad inopiam redactis præsidium ibi esse, & hospitium atq; alimenta præberi voluerunt) apertius & contentiosius, quam vllus Protestantium, Cæsaris Ius, potestatem & officium oppugnare, & Pontifici iudicium de litibus in Imperio exortis vindicare animum induxerunt, non quod cordi haberet Cæsarem à suscipiendo piaculo seu mortali peccato prohibere, & ius suum Pontifici saluum conseruare, sed tantum vt Pontificis gratia eo officio conciliata alienarum hæreditatum facilius potirentur. Quotiescumque enim satis obsequentem videntur habere Cæsarem, vltro ei auctores esse non dubitant, falcem suam in Pontificis messem mittendi, & iudicium de causis Ecclesiasticis sibi arrogandi, suaq; auctoritate Ecclesias & opes earum quibus libeat auferendi & ipsis condonandi: quod etiam iure eum facere posse, atq; adeo debere argumentis vincere conantur, exploso Lateranensis Concilij Canone: *Si quis Principum donationem rerum Ecclesiasticarum sibi vindicauerit, vt sacrilegus iudicetur.*

Et tamen Cæsari negant iurisdictionem competere in Monasteriorum causis. Eamq; adscribunt Papa. Cuius gratiam in eo aucupātur. Alias Cæsarem docent falcem suam mittere in messem Pontificis. Eiq; sacrilegium apertè suadere.

CAPVT XXXIII.

Eius porrò doctrinæ sacrilegiorum magistræ specimen illustrissimum meis ipse vidi oculis in autographo literarum, quas Moguntini Jesuitæ totius prouinciæ nomine & Prouincialis Rectorisque sui auctoritate postrid. Cal. Octob. anni 1629. & a. d. 15. Jan. 1630. ad primarium quendam Cæsaris Consiliariorum dederũt. In iis literis Consiliarij illius *Consilium & auxilium maxime se flagitare, vnice optare & verè sperare* aiunt, vt Cæsar inscio & inconsulto Pontifice Monasterium Claræuallis in suburbano Moguntiæ agro ipsis donet, idq; *de subito* & *clandestino*, *ne quid eius Pōtifici aut aliis Romanorũ suboleat, sicq; aliquid obiiciatur impedimenti. Romæ enim* (inquiunt) *paucos numeramus amicos qui beneuole nos audiant. Cæsaris DONATICIAS, Commissoriales & Exsecutoriales literas tacite præstolabimur.* Nec tamen satis habent ex dono Cæsaris vno illo Monasterio potiri, sed summa ope conniuntur, vt multo plurima eadem sacrilegæ donationis via in potestatem suam redigant, velut hæc ipsorum verba planum faciunt: *Hoc Claræuallis Monasterium, si Moguntino Societatis nostræ Collegio adderetur, multas eidem*

Eius rei illustre exemplum.

Iesuitæ queruntur se Papa & plerisq; Romanis vti minus beneuolis.

Plura Monasteria sæculari Cæsaris auctoritate inscio Pontifice conantur obtinere.

vtilitates afferret, MAXIME *ob pascua & prata, quæ habet multa. Cum illo, quod* NVNC *petimus* (cras scilicet alia petituri) *si coniunctum sit aliud Monasterium Oppenhemij situm, quod Maria Corona dicitur, Cæsaria beneficentia nobis* DONATVM, *eum speramus Collegij Moguntini statum efficiet, qualis est maximorum.*

Fraudulentia quam Iesuitæ Cæsari præmonstrant.

Nunc operæ pretium est cognoscere, quantæ astutiæ & calliditatis modum improbi isti Captatores & Hæredipetæ Cæsarem doceant, vt minore inuidia, nullaque impedimenti aut remoræ occasione Monasterium S. Francisco sacrilegæ eripi, & Ignatio Loyolæ eiusq; malis ouis donari possit: *Si Imperatoris* (inquiunt) *auctoritate & nomine Monasterium initio occuparetur & administraretur* (dissimulato, quod nobis donare illud cogitet) *non erunt, qui contra moueant. Si per extraordinarios Commissarios, qui* IVS *examinent,* DICANT, *&* DE SVBITO EXSEQVANTVR (id est, non citatis, nec auditis Franciscanis, quorum res agitur, multo minus causa ad Forum Pontificis & Ecclesiæ remissa) *multa quas maleuoli suscitabunt remora cadent.* Id est, Franciscanæ familiæ Generalis Minister homo maleuolus est, quoniam suo Ordini sua recuperare, quam nobis abligurrienda mauult relinquere. Cauendum ergo erit, ne rescissat, Cæsarem illud Monasterium nobis donare velle. Postquam verò Cæsaris Commissarij omnia Monasterij bona à Palatinatus incolis recuperarint, nosque in possessionem eius immiserint, tum Franciscani postulationes & protestationes nimis sero & nequicquam interponent: & nos erimus *Beati possidentes.*

Quia Cæsar videtur esse paulo religiosior.

Sed quoniam non vacant metu, ne Imperatorem scrupulus aliquis male habeat & conscientia remordeat (quippe, qui literis Romam datis testatus fuerit, *se in conscientia ferre non posse, vt in iure diuino stabilita fundationes contra Fundatorum mentem & institutam alio conuertantur & applicentur, & Monasteria sub prætextu maioris boni alij Ordini, quam cui dicata sunt, concedantur*) propterea & ipsum & Consiliarios eius omni talis religionis modo exsoluere satagunt, & plura sacrilegia quotidie nullo metu perpetrare hoc modo docent:

Iesuitæ omnẽ ei scrupulum eripere conantur.

Et contendunt, eum coram Deo obligari vt sacrilegium committat.

Sacrilegas suas opiniones volunt haberi pro certis.

Probabo opinionem hanc CERTAM, *Imperatorem non modò posse optimo iure, prudenter, pie ac religiose Monasteriorum quondam emortuorum reditus Societatis vsibus assignare, verum etiam* VT PLVRIMVM (id est, quod ad plurima Monasteria attinet) *in conscientia coram Deo ad id obligari: & Consiliarios eius, si Deo & Imperatori fideles sint, idem* OMNIBVS *modis* (siue iustis, siue iniustis, quia *Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere*) *suadere & curare debere, grauiter verò peccaturos* (id est, periuros perfidosq; fore) *si obstent aut dissuadeant.* Hæc ergo illorum est *Opinio,* sed *Certa, absq; vlla,* vt aiunt *oppositi formidine,* quia *perfecta caritas* & Monasteriorum sacra fames *foras mittit timorem.* Nunc

audia-

audiamus Mathematicam illam demonstrationem, cuius vi quod lignum est lapidescit, & Opinio fit scientia: *Catholica* (inquiunt) *Religio magis crescere non potest, quam si* PLVRIMI *sint adscripti militiæ Iesu, qui pro ea pugnent eamque disseminent: quales Collegia Societatis Iesu nutriunt, edocent, quaquaversum emittunt. Quare nec Imperator magis iuuerit Ecclesiæ salutem, quàm si Societatis Collegia promouerit. Qui ergo huius consilij auctor est, optimum agit Consiliarium, qui contra, is suadet quod facit contra Ecclesiam, contra Imperatorem & contra multorum salutem.* Sed vereor, ne Mathematica ista demonstratio sit acutior & subtilior, quàm vt satis eam Cæsar & Consiliarij eius percipere queant. Operæ ergo fuerit pretium vim disputationis nonnihil declarari, quod fiet si duplex argumentum distinctè ad formam redigatur dialecticam hoc modo:

Mathematica eorum demonstratio.

Adeò acuta & subtilis, vt eam Cæsar & Consiliarij non percipiant.

Capvt XXXIV.

De Officio Cæsaris.

Cæsar non modo iure potest, sed etiam in conscientia coram Deo obligatus est facere quicquid iuuat Ecclesiæ salutem & religionis incrementum, peccat verò mortaliter, si id facere prætermittat.

Monasteria vacantia dare Iesuitis iuuat Ecclesiæ salutem & religionis incrementum, quia sic Iesuitarum strenuorum Christi militum crescit numerus.

Itaq; Cæsar non modo iure potest, sed etiam in conscientia coram Deo obligatus est Monasteria vacantia dare Iesuitis, peccat verò mortaliter, si id facere prætermittat.

Syllogismus Iesuiticus.

Pari modo annis superioribus sub propositione sua assumserant:

Archiepiscopo Pragensi abrogare ius & potestatem in Academiam Pragensem, & dare Iesuitis, iuuat Ecclesiæ salutem.

Omnes Scholas, ludimagistros, pædagogos, typographos & bibliopolas totius regni Bohemiæ subiicere Iesuitarum iurisdictioni, iuuat Ecclesiæ salutem.

Iesuitas facere Censores librorum & Inquisitores hæreticæ prauitatis per totum Bohemiæ regnum, iuuat Ecclesiæ salutem.

Itaq; in conscientia coram Deo obligatus est Iesuitas facere Dominos quasi totius regni Bohemiæ, peccat verò mortaliter, si id facere prætermittat.

Omnes Cæsaris ministri debent Iesuitis peccata confiteri.

Cæsar in cõscientia obligatur P. Lamermannum honorare instar Mardochai.

QVid autem vetat, quin similiter & ista assumant? Omnes Cæsaris Principumq; Consiliarios, familiares & domesticos Iesuitis vti Confessariis iuuat Ecclesiæ salutem. Et P. Lamermannum idem esse Cæsari, quod Regi Assuero fuit Pater Mardochæus, iuuat Ecclesiæ salutem, ita vt dubitandum nõ sit, ex honore & gloria Lamermanni eundem Iesuitas fructum capturos, quem Mardochæi exaltatio Iudæis attulit, de quo Esth. 8. & 9. ita legimus: *Mardochæus de Palatio & de conspectu Regis egrediens fulgebat vestibus regiis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atq; purpureo. Iudæis ergo noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium: in tantum vt plures alterius gentis & sectæ eorum Religioni & cæremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat. Nam & prouinciarum iudices, & Duces, & procuratores & omnis dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochai, quem Principem esse Palatij & plurimum posse cognouerant.* Quid ni ergo Cæsar in conscientia obligatus sit, omnem Aulam suam ad peccatorum exomologesin solis Iesuitis faciendam adigere, & Lamermannum facere Principem Palatij & vestibus Regiis fulgenti auctoritatem conciliare maximam? Sic enim grandis cunctos Iesuitici nominis terror inuadet, multoq; PLVRES alterius gentis & sectæ Iesuitarum Religioni iungentur, tametsi (vt Paulus ait 1. Cor. 10.) *non in PLVRIBVS beneplacitum est Deo: οἱ γὰρ πλεῖστοι κακοὶ, Plures enim mali.* Non dissimiliter Iesuitæ in Placida Disceptatione Opinionis suæ certitudinem de Cæsaris Officio & Præterofficio demonstrari sibi visi sunt hoc modo disputantes:

Sic enim plures fient Iesuitæ.

Alius Iesuitarum syllogismus verè Cornutus.

> *Cæsar in conscientia obligatus est non alligare os boui trituranti, id est, non prohibere eum victu necessario.*
>
> *Societas Iesu est Bos triturans*, vitula elegans atq; formosa, docta diligere trituram (*Ierem. 46. Ose. 10.*) *siue ad verbi & Sacramentorum administrationem idonea.*
>
> *Ergo Cæsar in conscientia obligatus est non alligare ei os trituranti, nec victu necessario eam prohibere, sed dare ei prata & pascua Vaccarum vetularum & claudarum, quarum subtrita vsq; ad talos sunt vngula, id est Religionum veterum ad nihil iam vtilium, ita vt de Cæsare gloriari Societas possit:* In loco pascuæ ibi me collocauit, *Psal 22.*

At enim hoc potius est demõstrare Societatis Vitium, quã Cæsaris Officium, cum multo amplius contineat complexio, quam quantum ex concessis effici debuit. Non autem plus inde cogitur, quam Cæsarem nõ debere victu necessario Societatem priuare. Id quod perspicuè Paulus docet 1. Tim. 5. *Qui laborant in verbo & doctrina Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et,*

Dignus est operarius cibo suo. qui cibus est *Merces* illa, quæ illi sola ab hominibus debetur. qua nihil amplius nec ipsis Apostolis postulare Christus permisit. qua de re Paulo credere nos par est, sic de se cæterisq; Apostolis prædicanti: *Habemus potestatem manducandi & bibendi* (quæ apponunt nobis illi, quibus euangelizamus) *sicut & cæteri Apostoli. Dominus enim ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Non tamẽ vsus sum hac potestate, ne quod offendiculũ dem Euangelio: sed sine sumtu auditorum pono Euangelium, atq; etiã cum egeo* (rebus victui & amictui necessariis) *nulli onerosus sum, sed in omnibus sine onere me* auditoribus *seruo & gratis Euangelizo, vt plures lucrifaciã*, 1. Cor. 9. & 2. Cor. 11. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus, nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tẽtationem & laqueos diaboli, à quo captiui tenẽtur ad ipsius voluntatẽ*, 2. Tim. 2. & 1. Tim. 6. Tantũ ergo est, quod Societati in area Dei homines velut grana ab errorũ aut peccatorum glumis verbi & sacramentorũ ministerio tamquã Vngulis exterenti vel separanti à Cæsare & Principibus debetur. quo si docta illa Vitula nõ sit contenta, sed alienis spoliis ditari & superuacua accipere postulet, merito Cæsar veretur, ne in diaboli laqueos inciderit, ab eoque ad ipsius voluntatem captiua teneatur, neve Aquilonari stimulo agitata, siue superuacuis septemtrionalium Monasteriorum opibus saginata lasciuiat & calcitret, sicut Jerem. 46. scriptum est: *Vitula elegans atq; formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei* (*Ab Aquilone* autem *venit aurum* Iob. 37.) *Mercenarij eius* (*Sacerdotes in mercede docentes & prophetæ in pecunia diuinantes*, Mich. 3.) *quasi Vituli saginati versi sunt.* Talibus porro Vitulis quam minime tutum sit Ecclesiæ causam credere, 2. Reg. 6. & 1. Paral. 13. *Arca Dei* figura docemur. quæ cum plaustro imposita veheretur, nihil propius factũ fuit, quam vt humi effunderetur, *quia Boues lasciuientes & calcitrantes inclinauerant eam*, vt omnino casura fuerit, *nisi Oza manum extendens eam sustentasset.*

In Ecclesiæ ministerio occupatis debentur ad vitam necessaria, sed superuacua non item.

Societas est Vitula aquilonari stimulo agitata.

Cui lasciuienti Ecclesiæ causa parum tuto creditur.

In superioris autem Syllogismi propositione est quiddam ambigue dictum, quod distinctionis indiget. Ecclesiæ quippe salus & religionis incrementum dupliciter iuuari potest, modis nempe vel iustis, honestis & prudentiæ spiritus consentaneis, vel iniquis, turpibus & carnis aut sæculi prudentia dignis. Cæsaris officium est Ecclesiam iuuare illius, non huius generis rationibus ac modis. Atqui Monasteria aduersis sacrorum Canonum sanctionibus & eorum, qui ea condiderunt voluntatibus, veteribus Ordinibus erepta Iesuitis transcribere, hoc est Ecclesiam iuuare velle modo iniquo, turpi & prudentia spiritus alieno. Grande ergo nefas Cæsar contraheret ac sacrilegio piacularis fieret, si mendosa ista Jesuitarum demonstratione propositi sui constantiam

Cæsar Ecclesiæ salutem & religionis incrementum iuuare debet modis iustis & honestis. Sed Monasteria dare Iesuitis est iniustum & turpe.

con-

conuelli ac labefactari pateretur, ab eoq; demutaret, quod toties publicis priuatisq; tabulis profeſſus fuit, ſe nimitum nec debere, nec poſſe, nec velle committere, vt defunctorum voluntates reſcindantur irritæq; fiant, & inuito iure diuino Monaſteriorum bona alteri Ordini, quam cui dicata ſunt, ſub maioris boni prætextu concedantur.

CAPVT XXXVI.

De Officio Conſiliariorum Cæſaris.

Alius Ieſuitarum Syllogiſmus.

Quicumq; Conſiliarius Cæſari diſſuadet, ne iuuet Eccleſiæ ſalutem, is facit contra Eccleſiam, contra Cæſarem & contra multorum ſalutem.

Quicumq; obſtat, ne Monaſteria vacantia dentur Ieſuitis, is Cæſari diſſuadet, ne iuuet Eccleſiæ ſalutem.

Ergo quicumq; Conſiliarius obſtat, ne Monaſteria vacantia dentur Ieſuitis is facit contra Eccleſiam, contra Cæſarem & contra multorum ſalutem, & conſequenter eſt Deo & Cæſari infidelis, ac propterea ipſe & poſteri eius ſentient Deum vltorem malefactorum, & cum æterna ſalutis diſpendio experietur ſe Societatem pupillam oculi Domini læſiſſe.

Eccleſia intereſt veteribus Ordinibus ſua reſtitui Monaſteria. Ipſosq; ordines reformari. Sic erunt Boues in area Dei triturantes quatuor vngulis æreis. Cum Societas duabus tantũ vngulis trituret. Quarum vnam, nempe Prædicationem verbi, habeãt Corneam.

AT enim hominum mendaciſſimi & mendiciſſimi mendosè vos colligere nemo eſt Conſiliariorum Cæſaris, quin ſua ſpõte intelligat. Qui obſtat, ne contra diuinas & humanas leges Ordinibus Monaſteria ſua eripiantur, ſed ſuadet ſua Monachis reſtitui, eosq; inſtaurandam Relig oſam diſciplinam compelli, is Cæſari cõſulit, vt maxime iuuet Eccleſiæ ſalutem & religionis incrementum. Monachi enim ex D. Benedicti formula viuentes ſunt Boues quatuor Vngulis triturantes, & quidem Vngulis æreis, quales ad Trituram Areæ Dei neceſſarias eſſe Mich. 4. ſic docemur: *Deus congregauit gentes multas, quaſi manipulos areæ. Surge & tritura filia Sion, quia vngulas tuas ponam æreas, & comminues*, ſiue vngulis teres, *populos multos & interficies Domino rapinas eorũ*. Id eſt, gẽtiles & hæreticos, qui diaboli laqueis captiui tenentur, liberabis, eosq; gladio ſpiritus *occides & mãducabis*, ac velut victimas Deo immolabis. Harũ verò vngularũ duas habent cũ Jeſuitis cõmunes, duas verò proprias. Cõmunes ſunt verbi prædicatio & Sacramẽtorũ adminiſtratio. Illã tamen Jeſuitæ habeant Corneam, ſed Monachi Aëream: quia Jeſuitæ ex præſcripto viuente, nõ prędicant niſi ex actibus vitæ Contẽplatiuæ, cum omnis eorũ lectio, meditatio & oratio ad Actionẽ velut Finẽ prȩcipuum referatur, *vt Dicant:* ſed Monachi prædicãt ex habitu, plenitudine & abundãtia Contẽplationis, vitam totã præcipue Contẽplationi dicãtes, *vt*

à Deo

à Deo *Discant*: sicut Ieremias sua Contemplatione & clamore, siue oratione, discere à Deo meruit sermonem grandem & triturandis populis idoneum. Ier. 33. *Hac dicit Dominus, clama ad me, & exaudiã te, & annunciabo tibi grandia & firma, qua nescis.* id est, nouas *adinuentiones meas, quas praparaui his, qui* plus *me diligunt* (maiorem ex assidua pulchritudinis meę contemplatione amorem concipientes) *quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adscenderunt*, 1. Reg. 2. & 1. Corint. 2. Ac tales sunt *Scriba docti ad regnum cœlorum* (siue ad Ecclesiæ ædificationem) *qui de* sacræ Scuipturæ *thesauro proferunt noua & vetera*, Matth. 13. Iesuitæ vetera tantum vaticinantur, ab aliis audita, aut in SS. Patrum & Monachorum libris inuenta. *Multi enim cibi sunt in nouatibus Patrum, & aliis congregantur absque iudicio*, quia maximos labores capiunt potius vt alii vetera dicant, quam vt noua ipsi à Deo discant, Prouerb. 13. Itaque *cum iam deberent Magistri esse propter tempus, adhuc imbecilles sunt ad audiendum sermones grandes & firmos*, quos Deus Contemplatoribus annunciat, *& sunt sicut paruuli expertes sermonis iustitia, quibus lacte opus sit, non solido cibo*, Hebr. 5. Tales minime perfectos Doctores esse, & Corneam tantum, non Aeream Vngulam ad terendos areæ manipulos afferre, S. Gregorius Magnus ita disertim affirmat: *Quicquid subditis Doctor proponit ad normam rectitudinis, aut de Exemplis electorum accipit, aut de doctrina sacri eloquij, aut ex Reuelatione interna Contemplationis. Si solum Exempla bonorum nouerit, aut si sacra Scriptura etiam quis eruditus sit, & Contemplationis reuelatione caruerit, in ordine Pradicationis vir* PERFECTVS NON *erit. Dei namq; debet esse docibilis, qui suscepto pradicationis officio docere homines cupit.* Monachos verò tamquam perfectos Prædicatores & per reuelationem Contemplationis à Deo doctos trituram in area Dei non minus calamo, quam sermone exercere, Prophetarum Exemplo docemur. Isai. 21. *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus* (id est, voluntas mea est in lege Domini, & in ea meditor die ac nocte, velut speculator pro Ecclesia agitans excubias) *Tritura mea, & filij area mea, qua audiui à Domino, annunciaui vobis.* id est, mihi contemplanti à Deo reuelata vos doceo, scribens in libro, in quo clamabo vsque ad consummationem sæculi. Ita quippe facere iussus sum, Isai. 30. *Scribe super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit* (scriptura tua) *in die nouissimo in testimonium vsque in aternum.* Habac. 2. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, &* CONTEMPLABOR *vt videam, quid dicatur mihi. Et respondit mihi Dominus, & dixit, scribe visum* (seu sermonem tibi reuelatum) *& explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum.* Sic satis probatum arbitror, duas

Contemplatiui proferũt vetera & noua.

Iesuita non nisi vetera vaticinantur.

Ac propterea semper manent pueri.

Et imperfecti Pradicatores.

Monachi trituram etiam calamo exercẽt.

Annunciãdo aliis qua Deus ipsis reuelat.

Vngulas, quibus solis Societas Iesu manipulos terit, non minus Monachis adesse, sed alteram earum, nempè Verbi prædicationem Iesuitis esse Corneam siue imperfectam, Monachis verò Aeream seu perfectam, tamquam ex Contemplationis abundantia manantem, cum eorum *caritas magis abundet in omni sapientia & in omni sensu atque intellectu spirituali*, Philip. 1. Coloss. 1.

CAPVT XXXVII.

Duæ Monachorum Vngulæ, quibus caret Societas.

Magna virtus & magna gratia.

DEinde habent Monachi Regulæ conuenienter viuentes duas Vngulas, quibus Iesuitę carent, etiam qui optima fide Regulam suam custodiunt, quæ sunt *Magna virtus, & Magna gratia apud Deum & homines*. Magna virtus est *omnis patientia, signum Apostulatus*, 2. Corinth. 6. Magna gratia est, quam eis conciliat beneficentia, communio & hospitalitas, siue opum ipsis non necessariarum hilaris & fidelis in aduenas & egentes distributio. De omnium quatuor Vitulæ triturantis Vngularum vi & efficacitate in filiis areæ Dei terendis, ipsius Dei hoc est iudicium. 2. Tim. 2. *Seruum Dei oportet esse docibilem & patientem* (siue Vngula doctrinæ & patientiæ triturare) *si forte Deus illis, qui resistunt, det pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, 2. Timoth. 4. *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed à veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu ergo homo Dei prædica verbum, opus fac Euangelistæ in omni patientia & doctrina.* 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo tamquam dispensatores sacramẽtorum Dei.* Act. 4. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Christo, & Gratia magna erat in omnibus illis. nec enim quisquam egens erat inter illos, quoniam de agrorum & donorum pretiis ante pedes eorum depositis diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat.* 1 Tim. 3. *Episcopũ oportet esse doctorẽ & hospitalẽ* Heb. 13. *Beneficentiæ, cõmunionis & hospitalitatis nolite obliuisci. Talibus n. hostiis promeretur Deus*, siue acquiritur gratia magna apud Deum, 2. Cor. 9. *Hilarẽ datorem diligit Deus.* Eccl. 7. *Pauperi porrige manũ tuam, vt perficiatur propitiatio & benedictio tua* (siue gratia apud Deũ & homines) *Gratia enim dati est in conspectu omnis viuentis*, i. e. datũ vel beneficentia omnium gratiã danti cõciliat Prou. 22. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. De panibus enim suis dedit pauperi. Victoriã & honorẽ acquirat, qui dat munera: animã autem aufert accipientium*, id est, misericordiæ & beneficẽtiæ operibus vincet Diabolũ *fortem armatũ*, eiusq; atrio expugnato *spolia diuidet, animasq; captas à robusto saluabit*, Isai. 49. Iã de Magna Gratia satis omnibus notum est, eam Iesuitis nequaquã adesse, cum sua eos Regula nulla hospitalitatis & beneficentiæ lege obliget, ipsiq; *manus porrectas ad accipiendum, ad dandum verò collectas habeant*, Eccl. 4. Sed nec Magnam in eis Virtutem inueniri

Vngulæ doctrinæ & patientiæ.

Vngula Sacramentorũ

Vngula magna virtutis & magna gratia.

Vngula gratia.

Iesuitis palã est deesse vngulam magnæ Gratiæ.

ac pro-

ac propterea vix vllum imitationis vitæ Christi & Apostolorum in vita eorum vestigium apparere, etiam cum Patris sui Ignatii nomothesiæ conuenienter viuunt, vel ex istis cuiuis iudicare procliue fuerit. Matt. 11. *A diebus Ioh.* 1. *Baptistæ vsq; nunc regnum cœlorũ* (siue Ecclesiæ ministerium) *vim patitur, & violanti rapiunt illud*, operæq; faciunt pretium in hominib. triturandis. Iohannis autem erga se ipsum Violentia in eo spectata fuit, quod *Venit non bibens vinum, nec manducans panem, nec vestibus mollibus*, & cum perspicuo quamuis vitæ periculo Pharisæos & Scribas, ipsumque regem Herodem de peccatis suis liberrima voce castigans. Sic Iohannes in area Dei triturare cœpit, quam trituræ rationem Christus *vsq; nunc*, id est, perpetuo in Ecclesia obseruari oportere satis aperte docuit. quam vero nec Christus ipse, nec eius incitatores Apostoli Violentiam in rapiendo regno cœlorũ missam fecerint, quamq; ea omnes Ecclesiæ ministros vti voluerint, ex his Pauli verbis apparet, 1 Cor. 4. *Nos Apostoli vsque in hanc horã* (à diebus Iohannis vsq; nũc) *& esurimus, & sitimus, & nudi atq; instabiles sumus, purgamenta huius mundi facti sumus. Vos autẽ* (Clerici *à Deo vocati in Societatem filij eius Iesu*) *iam saturati estis, iam diuites facti estis, & sine nobis* (i. e. sine vlla nostri imitatione) *regnatis. Rogo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et 2. Cor. 4. 6. & 11. *In omnib. exhibemus nos sicut Dei ministros*, non modò *in Verbo veritatis* (vt illud libere loquamur, hominibus placere nihil soliciti, nec offensæ metu *vtilium quicquam eis subtrahẽtes*, Act. 20. *Si enim quæreremus hominibus placere, Christi serui non essemus*, Gal. 1.) Sed etiam *in multa patientia in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in labore & ærumna, in vigiliis & ieiuniis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, semper mortificationem Iesu in carne nostra circumferentes, sicut egẽtes* (votumque paupertatis exsoluentes) *multos autem locupletantes*, nec beneficentiæ & communionis obliti, ac de his quæ *manibus laborantes* lucramur, quæque *fratres de abundantia sua nostram inopiam supplentes in vsum nobis mittunt*, aliis etiam liberaliter *ad ea quæ ipsis opus sunt ministrantes* 2 Cor. 8. Phil. 4. Act 20. Ista igitur fuit Christi & Apostolorum vita ac Tritura, à qua Iesuitarum vitam procul abhorrere ac mutare, nec ad eius similitudinem ita prope, ac Monachorum vitam, accedere, cum omnes clare vident, tum ipsi Iesuitæ (vt supra monui) anno 1564. in responso Academiæ Parisiensi dato ingenuè fassi sunt. Ita quippe de se profitebantur: *Nolumus vt quisquam intelligat, nos esse ad eum modum Religiosos, quo Monachos, quibus ob quandam excellentiorem vitæ rationem nomen Religionis tribuitur. nec enim nos dignos esse arbitramur, qui tam sanctum & PERFECTVM vitæ genus profiteamur.*

Carent etiã vngula magna virtutis

Quæ à dieb. Iohannis Baptistæ semper in Ecclesia requiritur.

En ergo Christus & Apostoli in triturando vsi sunt Et omnes Ecclesiæ ministros ea vti voluerunt.

Iesuitæ Parisiis publice scripto professi sunt, suum institutum longe esse infra perfectionem Monachorũ.

CAPVT XXXVIII.

Solus Benedictinus Ordo triginta tria regna triturauit & Christo subiecit.

Iesuitæ in Germania nec triginta tres domos.

Cum magis Hirci sint, quam Boues triturantes.

Et à primo cursu suo multum de generauerint.

Cæsaremq; aduersus Pontificem stimulent.

Rursumque vtilitatis suæ causa ius Cæsari ereptum ad Pontificem transferant.

Quoniam à Curia Romana se in prædæ Societatem receptum iri sperant.

PAlam igitur infideles essent Cæsaris Consiliarii, si eos, qui excellentiorem vitæ rationem tenent, bonis suis spoliari, eaque ad alios, qui digni non sunt, tam sanctum & perfectum vitæ genus profiteantur, transferri suaderent: cum præsertim quod vtrorumque in triturandis populis iuuandaque Ecclesiæ salute & Religionis incremento sit laboris pretium & vtilitas, res ante oculos posita clare vociferetur S. Bonifacius exiguo tempore Germaniam S. Ansgarius Daniam, Sueciam, Noruegiam & Gothiam, alii eiusdem Ordinis Benedictini alia regna ac populos, vniuersus denique Ordo triginta tria regna triturarunt, & ab hęresi aut Paganismo ad Christi Euangelium adduxerunt, quatuor illis, quas dixi, Vngulis armati. Ostendant Iesuitæ, si possunt, solas triginta tres domos in omni Germania, quas suis vngulis, ac non potius *Principis edictis, minis & pœnis* triuerint, & ab hæresi ad Ecclesiæ communionē reuocauerint. Quæ igitur insania, quis furor esset, Monachos pascuis & pratis suis pellere, & in ea Hircos istos, non nisi Cornibus, id est, partim *inani sermone*, partim Principum *austeritate ac potentia* instructos immittere? quos præsertim palam sit ab eo ipso, quo se venditant, vitæ instituto tam longe recessisse, vt in neminem æque illa Dei querela conueniat Ierem. 23. *Factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis*, quippe qui Pontifici præter omnes alios Religiosos fidem se & obedientiam peculiari voto polliceri glorientur, simul autem suæ vtilitatis causa Cæsarem Pontificis ius inuadere, iurisdictionem Ecclesiasticam sibi arrogare, & inscio atque inuito Pontifice Monasteria nefarie & sacrilegè Ordinibus antiquis erepta sinistro liberalitatis genere aliis largiri doceant: qui si non æque docilem se illis præbeat, nec minoris iniustitiæ reum se fore statuat Iesuitas ad Monasteria admittendo, quam Protestantibus ea permittendo, stylum illi repente vertunt ac partes mutant, iamque nec suum Imperatori ius saluum esse postulant, sed omnem de controuersiis inter Imperii membra Monasteriorum causa exortis iudicandi facultatem Pontifici transcribunt: quoniam videlicet satis exploratum habent, si Cæsar Pontificem Romanæ Curiæ ingenio vti, deque Monasteriis arbitratu suo statuere permittat, vt nulla diuini humaniq; iuris religione alia Cardinalibus in *Commendam concedat*, alia *Episcoporum* prodigorum maleque rem gerentium *mensis applicet*, alia pē*siones annuas* Aulæ Pontificiæ vernalis præstare iubeat, futurū vt eorum

quamplurima sub maioris boni prætextu Societati ad Gymnasia & Collegia in quibusuis Germaniæ partibus instituenda fundanda ac dotanda concedat. Sic enim faciendi *grauem in conscientia obligationem* esse prædicant, nec Pontificem sine turpissima ingrati animi nota aliter facere posse persuasum habent, cum ipsi soli eo se Imperatorem impulisse glorientur, vt Protestantibus Ecclesiasticorum bonorum restitutionem Edicto imperaret. Ipsius quidem certe Confessarius P. Lamermannus literis ad Abbatem Cæsariensem a.d. 17. Sept. Anno 1630. datis (quæ Astri pag. 223. recitantur) Edicti Cæsarii publicationem sua vnius opera confectam esse hoc modo prædicat: *Plus omnibus laboraui. Nouit Imperator conatus meos, sollicitudines & crebras sollicitationes. Nouit ME VNVM mouisse* (seu primum motorem atque auctorem fuisse) *& tamdiu vrsisse, quo ad euincerem de recuperatione omnium bonorum Ecclesiasticorum post transactionem Passauiensem ab hæreticis occupatorum.* Nec tamen hoc eum gloriosius, quàm verius, iactare arbitror, cum Carolum Auriam Ducem Tursium, qui eodem anno Catholici Regis Oratorem apud Cæsarem agebat, dolenter de illo questum sciam, quod cum Ratisponæ vna cum Electore Bauaro etiam atque etiam considerare eum monuisset, quam periculosæ plenũ opus aleæ futurum esset, si Cæsar in Edicti sui exsecutione animo pertẽdens Electores Saxonem & Brandeburgicum à se alienaret, atque ad virium consociationem cum cæteris Protestantibus & Sueciæ Rege faciendam adigeret: ille oculis peruicaciæ testandæ apertis sibi responderit: *Stabit, stabit Edictum Cæsaris: nec refert, si illius causa non modò Austria, sed omnino omnium regnorum ac prouinciarum suarum iacturam facere necesse habeat, modò animam suam possit saluam facere, quod frustra sperat, nisi Edicto exsecutionem præstet.* Sicut autem hanc ei laudem tribuere omnes oportet, cum plus omnibus laborasse, vel potius vnum solum Cæsari cum Edictum illud extudisse, tum voluntatis in eo exsequendo constãtiam persuasisse: ita non minus certa res est, eum *fictis verbis* tam de anima Cęsaris, quam de omnibus eius fortunis *negotiatum esse*, nec tam animæ illius salutem, quam magnum Societatis suæ quæstum & potentiæ incrementum habuisse propositum. Hoc ego nouem argumentis validissimis ac tantum non vim mathematicæ demonstrationis habentibus docere possum. Sed Cæsaris & Consiliariorum ac Ministrorum eius honori consulens iis nunc exponendis supersedeo, cum præsertim quæ iam Astro publicato satis constant, ac vulgo quoque nota sunt, neminem dubitare patiantur, quin nullo genere maior Lamermanno de Ferdinandi sui , quam de Amurath's Turcici Imperatoris anima curæ sit, nec vel ipse, vel participes eius, de Vitelliana hæresi Iesuitæ, religioni habeant

Cum ipsi soli Cæsarem ad Edictum publicandũ perpulerint.

Velut Lamermannus gloriatur.

Idque verũ esse testatur Dux a Tursi.

Qui Lamermanno ingens Cæsaris periculum considerandum proposuerat.

Sed ille clausis oculis monitũ eius repulit.

Et in auaritia de anima deque omnibus fortunis Cæsaris negotiatus fuit.

Cæsar se in causa Monasteriorũ profitetur Iudicem, & antiquos Ordines esse legitimos actores.

Id Iesuitæ contendunt esse mendacium.

Solum enim Pontificem esse cõpetentẽ iudicem, & Ordines nullã actionem habere.

Et sententias Cameræ Spirensis secundũ Monachos nihil habere iustitiæ

Iesuitæ protestantes docent rebellare Cæsari.

habeant propter societatis suæ emolumentum apertissime nullaq; circuitione de Cæsaris jure ac potestate detrahere. Nam ecce tibi cum Imperator in Edicto suo se controversiarum de Monasteriis, quæ Protestantes invaserant, legitimum esse Iudicem profiteatur, ac velut Iudex ferat sententiam, & antiquis Monachorum Ordinibus tanquam lege agentibus ac jus suum persequentibus Monasteria restitui præcipiat, Spirensis quoq; Dicasterij Assessores jura litigantibus reddere jubebat: Iesuitæ in justa defensione summa vi pugnant, falsissimum esse, quod aut Imperator, vel eius loco Spirense Tribunal de id genus causis judicium, aut Ordinis antiqui juris quicquam habeant ad ea vindicanda, propterea quod & *Monasteria illa omnia sint exstincta ac de jure nemini debita, adeoq; ad jus & arbitrium Pontificis devoluta, & Cæsar ejusmodi causas ad forum suum trahens, jura & auctoritatem sedis Apostolicæ imminuat, Ecclesiasticam immunitatem lædat, id deniq; faciat, quod à jure prorsus sit alienum, & graviorem sedis Apostolicæ censuram mereatur. Pontifices per patientiam tolerasse*, ut Cæsar & Spirenses Ordinib. Monasteria restituerent: *si tamen res deducta fuerit in judicium, exigente justitia non debere tolerari*, ut Cæsar Iudicis munere fungatur: cui porrò consequens est, Edictum Cæsaris ipso jure nullum esse, nec virium quicquam habere oportere. Protestantes proinde Iesuitis Magistris discunt Edicto illi tanquam vitioso & injusto repugnare, hasq; exceptiones opponere. I. Cæsarem non esse legitimum istarum causarum judicem. II. Ordines Monachorum nullum agendi jus habere. *Monasteriorum enim professi, qui jus aliquod in illis habebant, omnes mortui sunt: & in eo NEMO hominum jam reperitur, qui sibi jus & actionem vindicare possit.* Nam Iesuitæ, qui jus sibi vindicant, dum Papam & Cæsarem contendunt, *in conscientia obligari, ut quamplurima societati Monasteria concedant*, Homines censeri non debent, sed ipsissimi Cacodæmones. III. Cæsarem & Spirenses Areopagitas *non secundum justitiam, sed secundum quandam æquitatem processisse, dum eis Monasteria adjudicarunt, quibus de jure non debebantur.* qua de re in Astro agitur pag. 191. & 198.

Et ipsa Imperii fundamenta convellunt.

Et adhuc cuiquam dubium esse potest, quin sacerrimi omniũ bipedum sacra Monasteriorum fame impulsi totum imperium à fundamentis commouere tentauerint, & Protestantibus Cæsaris jus circumscribendi ac justissimis eius Edictis & mandatis repugnandi auctoritatem dederint, arma deniq; rebellionem spirantibus ultro commodauerint?

CA-

CAPVT XXXIX.

DEcimum Hydræ caput est, hodierni Pontificis sugillatio, minimeque occulta officij neglecti exprobratio, quod immunitati Ecclesiasticæ vindicem se non præbuerit, & Imperatorẽ causas Ecclesiasticas ad forum suum trahere passus, hoc amplius autem declarationibus in Edicto Cæsario positis Apostolicam benedictionem impertitus fuerit, atque etiam visis Cæsaris postulatis in epistola ad Sabellum Principem data, partim per eundem Sabellum, partim per Nuncium suum ei receperit, nihil aduersus postulata illa Romæ tentatum, *nec ullũ Monasterium vel in Commendam cuiquam datum, vel Episcoporum mensis incorporatum, vel pensionibus grauatum, vel in Scholas, aut Iesuitarum Collegia conuersum iri.* Eo namque pacto cum ipse Cæsarem legitimum controuersiarum de Ecclesiasticis bonis judicem esse agnouit, deq; jure suo plurimum imminuit (si fas est credere) tum omnem Iesuitis, præcipueque Lamermanno fidem abrogauit, ei auctoritatem eius diluit. Ille enim lamentabili libello Cæsarem de animæ suæ periculo ingentique scandalo admonuerat, quod impietate literarum suarum ad Sabellum & Episcopos missarũ plurimis abjecisset, & Pontificij anathematis fulmen animi ad saniorem sententiam receptu anteuertere hortatus fuerat. Lata proinde Pontificis culpa fuit, qui mandata illa Cæsaris, quæ Lamermannus temeritatis & sceleris condemnasset, ac Romanis usq; eo in offensu esse monuisset, rata habere & Apostolica benedictione prosequi non dubitauerit. Iam quippe Lamermannus in judicio de Cæsaris actionibus faciendo turpiter alucinatus videatur necesse est, & in mendatio de Pontificis offensa. Sic à Cæsare deprehensus non habet, cur in posterum multum se fidei & auctoritatis apud Cæsarem inuenturum speret: quæ ipsi causa fuit, cur in sermone apud amicum dolenter quereretur, si ex duodecim postulatis, quæ principio anni animo concepisset, totius anni decursu unum modò à Cæsare impetratum auferret, satis æquo se esse animo. Cæsarẽ enim Ministris suis omniũ rerum fidem habere, eiq; ab illis persuaderi, Confessario velut sacrificulo minimè magnam politicarum & ciuilium rerum esse intelligentiam. Multo a. veri est similius, non aliam eius rei causam esse, quam quod Cæsarẽ minime fugiat, Confessariũ esse Aspendiũ intusq; canere, & omnia ad suam & propinquiorũ atq; ad societatis suæ utilitatẽ reuocare. Quam v. auctoritati Pontificiæ non expediat, ab eo Confessarij Cæsarij fidẽ auctoritatemq; dilui, id n. Iesuitæ censent vel Hisp. Regũ exemplo discere debuisse: quos constat

Ministro-

Decimum hydræ caput sugillatio Papæ Vrbani.

Quod Apostolicæ sedis iura prodiderit.

Et Cæsaris mandata rata habuerit.

Nec Regum Hispaniæ morem imitatus fuerit.

Ministrorum suorum, quibus regnorum ac prouinciarũ regimen mandarunt, actiones quantumuis nefarias ac tyrannicas non temere rescindere aut reprehendere, multo minus suppliciis vindicare, quod imperii publici rationem postulare iudicent, vt salua illis sit, nec vilescat aut diluatur apud populos subiectos auctoritas. At enim Pontifex, opinor, non videtur causæ quicquam habere, cur Iesuitas suæ, quam Vitellianæ Monarchiæ, studiosiores censeat, eorumque mendaciis ac fraudibus, quibus Vitellii sui imperium stabilire & amplificare conituntur, pondus auctoritatemque addere, eaque causa iustißimum Cæsaris decretum improbare irritumque facere velle debeat. quæ quidem res ita bilem eis mouit, vt velut graui accepta iniuria Pontificem per Cæsaris latus Censoria notione configere perpetuoque nominis infamia inustũ posteritati tradere nequaquam religioni habuerint. Postquam enim Romæ mandata Cæsaris probari rataq; manere, nec aduersus ea quicquam contra tentatum iri compererunt, nihilo eo causa minus in *Iusta defensione* sua ea temeritatis & sceleris incusare ausi sunt. quod nihil est aliud, quam eorum approbatori Pontifici grandem auctoritatis Apostolicæ culpa sua imminutæ & iuris Ecclesiastici turpiter proditi dicam impingere, qua de re videri potest Astri pag. 189. 193. & 201.

Sed Papa satis intelligit, Iesuitas Aspendios esse & intus sibi canere.

Capvt XL.

Vndecimũ Hydra Caput. Suasio perfidiæ, periurii & violandi diuina & humana iura.

VNdecimum Hydræ Caput est suasoria perfidiæ ac periurii, & tyrannicæ violationis iuris gentium omniumque diuinarum & humanarum legum: quorum scelerum Pontifici & Cæsari auctores & hortatores esse non dubitant, vt ad cernẽdas Diuorum Benedicti, Bernardi, Augustini, Norberti aliorumque cœlitum hæreditates ipsi admittantur. Hoc satis scio plerisque maxime paradoxon, inopinatum & omnino incredibile ad aures peruenturum. Et tamen in Astro inexstincto tam id luculente demonstratum inuenitur, vt qui eum librum legere voluerint, animo præcipere queant, ipsa Veritatis euidentia se subactum iri, vt post homines natos agnoscant ac fateantur nusquam terrarum inuentos fuisse tam omnino nullius conscientiæ, fidei, honestatis ac pudoris Doctores, an Doctores; quorum si quis ingenium ac morem ex ipsis eorum scriptis perspexerit, fieri nullo modo potest, vt eos posthac vel conscientię arbitros ac moderatores, vel liberorum suorum magistros habere, & vel visos, vel auditos velit, nisi aut fascinatus planeq; oculis

Sceleratiores Doctores nullo vmquam tempore videntur fuisse, quam inter Iesuitas.

oculis ac mente captus sit, aut quæ tantorum scelerum Magistri docent, ea discere gaudeat, & opere exercere nihil dubitet: non quin plurimi in Ordine ipsorum sint viri boni omnisque culpæ expertes, sed quod eos nulla notà à cæteris eorum dissimilibus secernat, quorum hoc ipso cõmiseratione digna ac deploranda est conditio: id quod Lectores meos etiam atque etiam meminisse velim, ne me innoxios alienam culpam luere velle quisquam existimet. Priusquam vero specimina quædam in medium afferam, ex quibus quod de doctrina eorum perfidiæ ac periuriorum magistra dixi, manifeste omnibus appareat, præmonendi sunt Lectores, Cæsarem in literis Romam missis, quid sui esset sensus & iudicii de sua & Pontificis auctoritate, iure & officio, satis aperte tulisse. Cuius quidem iudicii tres omnino partes sunt. I. Pontificem legibus nõ obligari, si aut necessitas, aut magna & euidens Ecclesiæ vtilitas *plenitudini potestatis* locum faciat, & dispensationem imperet aut postulet. Hoc verbis illis ad Sabellum Cæsar significat: *Vobis committimus, vt sanctitatem suam de pia hac intentione nostra, quæ est, vt suum cuique tribuatur, plene edoceatis: quæ omnia tamẽ ea dexteritate proponetis, ne periculo aut offensioni illic locum dare, aut in eo, quod à libero sanctitatis suæ arbitrio pendet, modum statuere, sed ea solum, quæ salutarem resolutionem nostram turbare possent, auertere & præcauere velle videamur.* II. Nullam esse necessitatem defunctorum vltimas voluntates mutandi, & Monasteriorum fundationes in iure diuino stabilitas contra Fundatorum mentem aliò conuertendi & sub prætextu maioris boni alteri Ordini, quam cui dicata sunt, concedendi: cũ veterum Ordinum instauratio sit salutare medium ad Hæreses perimendas & Religionem Catholicam recuperandam, cumque *illis velut fulcris Religio olim innixa fuerit.* III. Cum adeo nulla sit defunctorum voluntates mutandi, & Monasteriorum opes contra Fundatorum mentẽ ad alios vsus conferendi necessitas, se saluo Ecclesiarum Aduocati officio & iureiurando Imperii Ordinibus dato nec ipsum talia facere, *nec Pontifici*, vt quicquam aduersus illas fundationes tentet, *permittere ac dissimulanter ferre posse.* Hoc Cæsaris iudicium Pontifex assensu suo comprobauit, eoque pacto sibi quoque nefas esse agnouit, Monasteria inuitis diuinis humanisque legibus nulla subigente necessitate ad alios transferre, & contra transactionem sedis Apostolicæ cum Germanica natione Episcopis eripere ius, quod habent *Monasterijs prouidendi, Abbates electos confirmandi & benedicendi, & Annatas* siue vnius anni reditus cum consecratur ab eis acceptandi. Quod etiam ius Imperator *vi & obligatione cuiusdam Capitulationis vindicare ac tueri debere* fertur, velut Astri pag. 216. videre est. Iam Iesuitæ intelligentes, si Cæsar & Pontifex in fide iuran-

Saluo honore eorum, qui in societate boni manent.

Cæsaris iudicium de sua & Pontificis auctoritate, iure & officio.

Quod eius iudicium ipse Pontifex comprobat.

Seque obligatum agnoscit, vt maneat in fide Germanicæ nationi data.

iurando firmata maneant, nihil prædæ fore prædatoribus, & bolos tam grandes atque opimos, quos iam spe deuoratos habuerant, sibi è faucibus ereptum iri, se denique ludibrium omnibus debituros, quod Cæsarē ad Edicti illius promulgationem impellendo aliis leporem excitauerint, summa ope sibi connitendum & manibus pedibusq; enixe omnia facienda censuerunt, vt eosdem à fidei & iuris iurandi religione abducerent. Primum enim vniuersè contenderunt, istas Cæsaris sententias *esse erroneas, temerarias, scandalosas, cum fidei Catholicæ principiis non cohærentes, à iure & veritate prorsus alienas, & auctoritati ac iuri sedis Apostolicæ detrahere, & Ecclesiasticam immunitatem lædere:* ac propterea Cæsarem eas improbare aliterque facere debere, quam sententiis istis præ se tulerit. Nisi enim id faciat, sed in errore pertendat, *grauiore censura* plectēdum fore. Hoc vero nihil est aliud dicere, quā Cæsarem excommunicationē mereri, si suum cuiq; tribuat, si Ecclesiarum Aduocati fungatur officio, si stet pactis & iusiurandum seruet, quo Imperii Ordinibus se obstrinxit. Atq; hoc est, quod Confessarius eius in libello ipsi oblato, & postea cæteri Iesuitæ in *Iusta defensione* sua summis ei viribus persuadere laborarunt.

Iesuitæ Papam & Imperatorem hortantur fidem datā frangere.

CAPVT XLI.

IN specie autem primum docuerunt, Pontificem in Monasteriorum causa pactis minime obligari, neque Concordata cum Germanica natione inita seruare oportere, cum causa ista sit Extraordinaria, id est, cum in ea magna Iesuitarum res agatur, quos homines valdaExtraordinarios esse nemo negare potest, quippe in quorum Societate *nullus ordo, sed sempiternus* confusionis *horror inhabitet*. Hac de re ipsorum verba sunt pag. 186. *Etiam Papa pacta & promissiones seruare debet cum eæ sint de iure naturali ac gentium. Id vero intelligi debet vt Papa Concordatis* ORDINARIE *derogare non possit: licet secus sit, Si* EXTRAORDINARIA *ad bonum publicum Ecclesiæ necessitas postulet*, hoc est, si Iesuitis multa & magnifica exstruenda sint Collegia. Tum Papa Concordatis derogare & in aito naturali gentiumque iure fidem datam violare, suumque Germaniæ Episcopis ius auferre, & Monasteria iurisdictioni eorum eximere potest. Deinde docuerunt, Pontificem & Cæsarem religioni habere minimè debere, vt defunctorum voluntates ac suprema iudicia rescindant irritaque faciant cum aliena bona Iesuitis transcribere, & S. Benedicti aliorumque cælitum hæreditatem ad degeneres Ignatii filios transferre sit Aequitatis, & conditorum si minus verbis, saltem menti ac voluntati consentaneum. Hæc quippe eorum in Iusta defensione verba sunt pag. 22. 23. &c.

Papam Iesuitæ docent non stare Concordatis Germaniæ.

Propter causam Extraordinariam. Qualis est priuata Societatis vtilitas.

Quam Pontifex & Cæsar pro summa lege habere debent.

22.23 & 264. *Quis nō videat Fundatores, quippe qui nihil aliud spectare credēdi sunt quam maiorem Dei gloriam & Ecclesiæ Catholicæ bonum, statim huiusmodi translationi assensuros esse, & suam voluntatem iustißimo Ecclesiæ Prælatorum iudicio ac dispositioni subiecturos? Et sic oportet distinguere inter vltimæ voluntatis, seu piæ fundationis mutationem & vltimæ voluntatis seu piæ fundationis benignam interpretationem siue epÿkiam. Nam in tali casu non tollitur testatoris aut fundatoris voluntas, sed in melius commutatur.* Similiter Placid. discut. pag. 20. & 21. *Nemo fundatorum conditiones posuit futuris Pontificibus, vt mo nasteria non liceret in alios vsus magis necessarios vtilesq́ Ecclesiæ conuertere. Non igitur contra intentionem Fundatoris venitur, si post tot annos in melius mutatur.* At enim eiusmodi benigna interpretatione omnia diuina & humana iura nefariè violari adeo certum est, vt ipse Vincentius Filiutius Iesuita scribere non timuerit: *Pontifex tam ex officio, quam quasi ex contractu cum ijs qui bona Ecclesiæ reliquerunt, obligatus est lege diuina & naturali tam illis, quam ijs, in quorum emolumentum relicta sunt, non alienare, adeo vt si contrarium fiat, iniuria fiat Fundatoribus, quorum voluntate legitima & rationabili non statur: lædatur vtilitas publica cultusq́ religionis: fiat iniuria Religiosorum successoribus: quæ tanto maior est, si præter iacturam bonorum fortunæ, Famæ quoq́ periculum adsit, quod tunc accidit, quando bona ita sine causa auferuntur, vt detur aliis probabilis suspicandi occasio, factum id esse vel propter ignorantiam, inertiam, inscitiam, vel propter vitam flagitiosam successorum. Itaq́ tenetur Pontifex & iustitia reparare id quod interest, tam in fama & existimatione, quam in bonis temporalibus.* Quam porro nihil omnino eorum quæ Ecclesijs donata & relicta sunt, post hac à mutationibus tutum sit futurum, si Pontifex istis perfidiæ magistris auscultet, eodem Astro pag. 151. & 153. Sic demonstratur: *Quid difficile occurret in posterum, quod per epÿkiam & benignam interpretationem non poßit eludi? aut quæ rerum circumstantiæ tandem non admittant eiusmodi benignam interpretationem? quæ demum literæ, quæ sigilla, quæ iura manebunt intacta & inconuulsa si per assertam benignam cuiuslibet interpretationem omnia exstinguere licebit? Quodnam Monasterium tandem manebit securum ab huiusmodi benigna interpretatione, cùm hæc ratio sit Transcendens, & non tantum contra Monasteria à Protestantibus restituenda, sed etiam contra numquam spoliata ex æquo procedat & militet? præsertim cum dicant Iesuitæ, pro reparatione fidei Catholicæ* NIHIL VTILIVS *posse excogitari, quam vt in* QVIBVSVIS *Germaniæ partibus Collegia Societatis* QVAM PLVRIMA *ex recuperatis bonis Ecclesiasticis & Monasterijs tam virorum, quam fœminarum instituantur, fundentur ac dotentur.*

Cum maior Dei gloria & Societatis commodum realiter idē sint, nec nisi ratione distinguātur. Itaq́ contra Societatis commodum nulla lex, nullumq́ testamentū quicquam valet.

Alij tamen Iesuitæ docent Pontificem Monachis nihil posse adimere, vt det alijs. Sin id faciat, teneri eum ad restitutionem damni & honoris.

Quantum iniquitatis habeat Iesuitarum æquitas.

CAPUT XLII.

Iesuitæ Cæsarem vt Aduocatum Monasteriorum docent propter ipsos peierare.

Duobus argumentis.

Quia iuramentum seruare sit contra mentem & praxin Maiestatis suæ.

Qui enim semel peierauit, non debet postea esse scrupulosus in fide seruanda.

TErtio Cæsarem docuerunt *vi* quidem *iuramenti sui, & quia sit supremus Ecclesiarum Aduocatus ac defensor, obligari & cogi iura ac bona veterum Ordinum tueri & ab hostibus recuperare*: Si tamen quam plurima Monasteria Iesuitis donare velit, non iam vllam ei iuriscurandi religionem, quin id faciat, obstare posse. Ei rei duo dixerunt argumenta. Vnum, quia ius iurandum tali casu seruare sit *contra mentem & praxin Maiestatis suæ*, (vt in libello suo Confessarius eius loquitur) hoc est, quia iam ante Cæsar plus semel contra quam iuratus fuerat fecerit, Monasteria Ordinibus ablata Iesuitis donando. Cui consequens est, neque post hac eum adeo religiosum aut scrupulosum esse oportere, quin eodem modo à iure iurando Iesuitarum causa discedat. In qua argumentatione non alia est consecutionis ratio, quam quæ illa Ciceronis sententia continetur: *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & nauiter oportet esse impudentem.* Cui consentaneum est, quod Machiauellus non tam probat, quam consuetudine fieri monet, homines male rem gerere, si nesciant omnino boni esse, aut omnino perfecteq; improbi, sed medias insistant vias, vt nēpe sibi nec in virtute, nec in vitio satis cōstēt, alternis Catones, alternis Vatinii, nec probe memores verbi illius Apoc 22. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Recte autē Ordinum Aduocatus in Astro suo huic Iesuitarum argumento istas Iurisconsultorū sententias reponit pag. 146. *Non debemus attendere solū quid factum sit, sed potius quid faciendum sit. Quæ à communi iure exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Et pag. 184. *Non exemplis, sed legibus iudicandum est. Et quæ gratiose alicui concessa sunt, non debent in argumentum trahi.* Alterum eorum argumentum est, quia Cæsarius hoc violandi iuris iurandi magna pecuniarum impensa emerit, ac propterea nulla eum lex ad seruandum illud alliget. *Tanto* (inquiunt) *sumtu Monasteria ab Hæreticis vindicauit, vt iure possit repetere summam pecuniæ, quam omnia eorum bona vix fortasse constituerent. Hanc ergo summam si liberaliter condonat, iure merito nouus fundator, dotator & patronus Monasteriorum censeri & agnosci debet; immo quasi Emtor. Nā in illis restituendis ærarium afflixit, æs alienum contraxit. Ideo magna esset ingratitudo honorem illum negare recuperatori*, Placid. Discept. pag. 6. & 37. quorum similia habet Ista defensio pag. 469. *Etsi verum est Cæsarem vi iuramenti obligari ad tuenda iura ac bona Monasteriorum, inde tamen non*

Quia etiam cæsar peierandi licentiam magnis sumtibus emerit.

Monachi essent ingrati.

men non

men non recte quispiam inferre poterit, Cæsari Ecclesiam saltē titulo gratitudinis obligatam non esse, vt voluntati eius acquiescat. quod perinde est ac si quis diceret: Eleemosyna in casu necessitatis est Iustitia, ac propterea Christus de eleemosyna loquens monet *ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus, & vt videamur* Matth. 6 Sicut & Prouer. 21 Scriptum est: *Iustus tribuet, & non cessabit.* Itaque diues vi Iustitiæ obligatur in necessitate ad cibum pauperi dandum. non tamen inde quis inferet, Pauperem saltem titulo grati animi non esse obligatum, vt sibi patiatur à diuite colaphos impingi in caput, & latera fuste & ligno dedolari, seq; lumbi fragio mactum dimitti. Eis ergo sic disputantibus recte in Astro pag. 185. regeritur: *Non amat, non desiderat Cæsar eam gratitudinem, quæ sine iustissimis Religiosorum Ordinum lacrimis offerri non potest. Non delectatur ea gratitudine, qua videat Ordinibus pro tot millionibus auri ad bellum Germanicum expensis, pro tam fidelibus seruitijs ipsi & Imperio huc vsq; præstitis non nisi suorum iurium & Monasteriorum suppreßionem & exstinctionem rependi.* Nimirum longe certius est, Cæsarem aliquot auri milliones, vt iura ac bona sua tueri ac recuperare posset, à Religiosis Ordinibus accepisse, quam Ordinum causâ vel teruncium expensum tulisse. Nec tamen eorum modo pecuniis fuit adiutus, sed etiam cum ipsorum precibus tum Diuorum illorum auxilio, quorum hæreditates simul cum regnis ac prouinciis suis bello vindicabat, quod futurum Psal. 82. ita prædictum fuit: *Omnes Principes eorum qui dixerunt, Hæreditate poßideamus sanctuarium Dei, facies illis Deus sicut Sisaræ: contra quem de cælo dimicatum est. Stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt,* Iudic. 5. Stellæ sunt sacri Religiosorum Ordines. Daniel. 12 *Qui ad iustitiam* (verbo & exemplo) *erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ. & in medio nationis prauæ ac peruersæ lucebunt sicut Luminaria in mundo,* Phil p. 2. Hi sunt, quos rapinis suis Protestantes ad capienda precum & supplicationum arma bellumque spirituale aduersus ipsos gerendum compulerunt, vt Mich. 2 legimus: *Desuper tunicam pallium sustulistis, & eos qui transibant simpliciter, conuertistis in bellum* Horum conditores, duces ac patriarchæ & maiores sunt illi, de quibus Apoc. 19 Scriptum est: *Vidi Bestiam & Reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum Christo & exercitibus in cælo, qui sequuntur eū in equis albis, vestiti byßino albo & mundo. Byßinum autē sunt iustificationes sanctorum.* Iam ergo videt Cæsar, cuius opus fuerint tot victoriæ, quas annis superioribus obtinuerat: non Militum eius, sed Ordinum Religiosorum, & Diuorum cælitum, qui Ordines condiderunt, quique sub signis eorum per multa sæcula Christo militantes *vicerunt, & vestiti sunt vestimentis albis, & sederunt cum Christo in throno eius,* ipsoque

in Cæsarem, nisi ab eo sibi Monasteria eripi paterentur.

Cæsar nihil impensarū Monachorū causa fecit. Sed sua recuperauit adiutus Monachorum pecuniis & precibus.

Et cælesti ope sanctorū Monachorū cum Christo regnantiū. Illis tot suas victorias debet.

Quibus si suas adimat hæreditates. Bellum aduersus illos & ipsum Christum suscipit. In quo certò vincetur. Iesuitæ aperte Cæsari periurium suadent.

duce *in iustitia iudicant & pugnant*, Apoc.3 & 19, de quorum pugna & victoria Apoc.17. ita fit mentio: *Reges impij cum agno pugnabunt, & vincet illos Agnus, & qui cum illo sunt vocati & electi & fideles.* Quisquis ergo Cæsari suadet, vt Sanctis Ordinum conditoribus hæreditates suæ eripiantur & alienis dentur, hic ei auctor est, vt bellum aduersus cælestes illos Reges, hoc est, aduersus Agnum ipsum suscipiat, quippe qui sunt *vnum cum Agno, in quibus Agnus se futurum & apud eos mansionem facturum* prædixit, Iohan.14 & 17. Itaque Cæsarem vinci necesse est, si Monasteria auferat Ordinibus & det Iesuitis: quod ipsi eum contra quam iuratus fuit facere non modo posse, sed etiam debere docent, & periurij ipsorũ causa se alligare ac reum facere hortantur. Sunt enim ista eorum verba: *Hoc rerum statu Cæsar sub graui obligatione in conscientia tenetur, vt ex bonis Ecclesiasticis & Monasterijs tam virorum, quam fœminarum, Gymnasia & Scholas, Collegia item ac domicilia quam plurima Patrum Societatis Iesu in quibusuis Germaniæ partibus instituat fundet ac dotet.* de quo videatur Astri pag. 185. quo loco animaduersionem meretur, quod minime satis habent vtilitatis sua causa perfidiam ac periurium Pontifici & Cæsari suadere, sed hoc amplius contendunt, id Regulæ atq; instituto & professioni ipsorum Conuenire, ita vt grauiter peccet Iesuita, qui Principi, cui est à Confessionibus, necessitatem iuris ipsorum causa peierandi non diligenter rebusq; relictis inculcat. In Iustæ namque defensionis proœmio num.13 totidẽ verbis pro Lamermanni ad Cæsarẽ libello causam dicũt: *Lamermannus officij obligatione secundum conscientiam permotus epistolam ad Cæsarem perscripsit: in eoque recte egit* (quod Cæsari iuris iurandi violandi, nec aut in Edicto suo, aut in voluntate pluribus literis Romam missis declarata constanter permanendi auctor fuit) *& aliter agere non debuit. Immo si Cæsarem non monuisset, reprehensionem meritus fuisset, tamquam boni Confessarij officio secundum Societatis nostræ Regulas non recte functus.* In Regula scilicet *omnia ad maiorem Dei gloriam* referre, & quoniam eadem Regula pro explorato habet, Societatem ipsorum illustrandæ & amplificandæ gloriæ diuinæ appositissimum vereque vnicum telum & instrumentum esse, nihil Societatis emolumento conducibile prætermittere, & omnia incremento eius obstantia tollere iubetur. Iam vero iusiurandum illud, quo se Cæsar Pacem Religionis conseruaturum, & Ordinum Imperii iura ac bona legibus ac legionibus tutaturum, Aduocati Ecclesiarum & Iudicis officio functurum, Monasteria Ordinibus per vim erepta recuperaturum, nec ad alios translaturum Deo teste recepit ac promisit, incremento Societatis vehementer obstat. Peccasset ergo Lamermannus parumque sancte Societatis Regulam habuisset, nisi

In eoq; se officium facere & Regulæ Societatis parere prædicant.

Nam Regula iubet Confessarios Principum omnia ad maiorem Dei gloriam referre.

Id est ad Societatis lucrum.

Quod lucrũ impeditur per Cæsaris iusiurandũ.

nsi Cæsarem monuisset, eum salua conscientia in fide & sacramenti Imperio dicti religione permanere nequaquam posse, sed ita cogitare secũ debere, iusiurandum rei Catholicæ iuuandæ ac seruandæ, non perimẽdæ ac perdendæ causa inuentum fuisse, nec *iniquitatis vinculum* esse oportere. Futurum vero iniquitatis vinculum, si eo se Cæsar obligari ac retineri patiatur, quo minus quam plurima Germaniæ Monasteria ad Societatem Iesu transferantur.

Eũ ergo Cõfessarius suus hortari debet, ne iusiurandũ seruet. Cum illud sit vinculũ iniquitatis.

CAPVT XLIII.

CVr autem plurimum ea res iniquitatis habeat, quatuor argumentis docere conati sunt, quorum primum est, quia Societas quotidie numero crescat, nec tanta habeat vectigalia, quanta in victum tot Sociis sint necessaria, qua de re ipsorum verba sunt: *Cum à paucis retro annis numerus Religiosorum Societatis in Germania multum auctus sit, & in dies augeatur, consequens est, vt prouentus quoq; pro sustentatione necessarij augeantur: qui cum aliunde hoc rerum ac temporum Statutũ haberi non poßint, Cæsar in conscientia obligatur, vt ex recuperatis Monasteriis quam plurima Societati fundet Collegia.* Quid ei autem potius consequens sit, Cæsarem obligari, vt totam Societati donet Carinthiam, cuius alienandi ius habet, cum ea quæ semel Deo cõsecrata sunt Monasteria, in alios vsus cõuertere nec per diuinas, nec per humanas leges ei liceat? Quæ vero est necessitas, vt ad Societatem quotidie *Plures accedant thynni & cetaria crescant?* cum per Monachos ad maiorum suorum similitudinem redactos totum septemtrionem ad Ecclesiæ communionem breui tempore reductum iri, tot superiorum sæculorum exempla spondeant. Præterita quippe sunt vmbra & figura futurorum. Itaque *Sapiens qui scit præterita, de futuris æstimat*, Sapient. 8 *Quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit*, Eccl. 3. Si ergo Cæsar maiores suos imitatus synodorũ opera veteres Religiosorum Ordines in pristinam sanctitatem reformet, eundem se laboris sui fructum mox capturum merito spe præcipit, quem illos cepisse constat, vt annis non multis regna vastissima ex regione & vmbra mortis ad claram Catholicæ veritatis lucem adducta cernerent. Ita nihil attinebit Iesuitas Diaboli artibus vti ad homines in Societatẽ suam illiciendos, quod illi se Ignatii patris sui imitatione facere minime dissimulant. In eius quippe vita à Maffeio descripta Romæque edita lib. 3. cap 11. ita scriptum habemus: *Ignatius mira fuit solertia in sollicitandis mortalibus, & à Diaboli seruitute ad Christi obsequium traducendis: ac quibus Artibus Dæmon ad animarum perniciem vtitur, easdem ipse quoad liceret ac fas esset ad hominum salutem transferebat. Voluntates ac naturas eorum*

Id Iesuitæ quatuor argumentis docent.

Primum

Multi quotidie fiunt Iesuitæ. Itaque danda eis sunt Monasteria, vnde viuant.

Sed potius Cæsar eis donare debet Carinthiã, cuius donandi ius habet.

Nulla est necessitas vt plures fiant Iesuitæ.

Cum Monachi reformati longe Iesuitis sint vtiliores.

Cur multi fiant Iesuitæ, causa est, quia Diabolicis artibus in Societatẽ illiciuntur.

ras eorum quibus cum ageret festine odorari, ambitiosis splendida, auaris vtilia, voluptuosis iucunda proponere, & suo quod aiunt HAMO vel ESCA quemque piscari. At enim Christus & Apostoli non Hamo piscati sunt, nec Esca vel gloriæ, vel vtilitatis, vel voluptatis pisces ceperunt aut capere docuerunt, sed *Rete* modo *in dextram nauigii partem laxarunt in capturam* (Luc. 5. Iohan. 21.) vt tantum spiritualia & æterna bona animis affectanda, nihil de sæcularibus & caducis cogitandum docerent. Et tamen omnia ostenderunt ad munus Piscatoris animarum vtilia, velut de se Deus profitetur Isai. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te in via, qua ambulas*, in via nempe misericordiæ & veritatis, non Auaritiæ aut dulplicitatis. *Vniuersæ enim via Domini misericordia & veritas requirentibus testamentum eius*, Psal. 24. Paulus similiter ad Episcopos Act 20. *Nihil subtraxi vtilium quo minus docerem vos. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis OMNE Dei consilium* (de rebus ad munus vestrum vtilibus. *Consilium in hoc do, hoc enim vobis vtile est*, 2 Corint. 8.) OMNIA *ostendi vobis, quoniam* Ecclesiæ ministros *oportet meminisse verbi, illius quod dixit Christus, Beatius est magis dare, quam accipere.* Sed Diabolus longe diuersam auditoribus suis facit acroasin, eosque monet meminisse versiculi illius Enniani, *Vnde habeas, quærit nemo: sed oportet habere*: Qua sua doctrina abducit homines à simplicitate Christi, vt *duplici corde & maligne ad Deum accedant* (Eccli. 1.) quodque suæ ipsorum gloriæ, vtilitatis aut voluptatis causa atque haud scio an *propter regnum culorum*, seu Pygiacam iurisdictionem faciunt, paupertatem, obedientiam & castitatem vouentes, id Deo imputent, ac *propter regnum calorum* facere credi velint. A quo Diaboli artificio sic nos Paulus deterret 2. Corint. 11. *Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua* (quam Hamo suo captauit, & splendida ac iucunda ei proposuit) *ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo, per pseudo apostolos, operarios subdolos, ministros Satanæ transfigurantes se in Apostolos Christi, qui eos quibus euangelizant in seruitutem redigunt qui accipiunt* (non dant) *qui deuorant* (*domos viduarum*, siue Ecclesiarum sponso orbatarum, Matth. 23) *qui extolluntur* (suumque vitæ genus longe perfectissimum esse gloriantur, & *supra modum Apostoli* videri postulant, 2. Corint 12.) *qui in faciem alios cadunt*, sua eis beneficia ac merita exprobrantes. Ex quibus apparet, istos Corinthiorum Presbyteros *vocatos à Deo in societatem filij eius Iesu* (velut 1. Corint. 1. docemur) nō aliter quam hodierni Iesuitæ faciunt, dociliores se Satanæ, quam Christo & Paulo præbuisse discipulos, & persuasum habuisse, licere ac fas esse vti Artibus Diaboli, & Hamatili piscatu homines captare atque in societatem suam illicere, quos quis maneat exitus, hoc

Iesuitæ piscantur Hamo

Christus & Apostoli laxabant retia in dextram nauigij partem.

Sed Diabolus Iesuitas alium piscatum docuit.

Iesuitæ duplici Corde ad Deum accedunt.

Habent sensus corruptos & alienos à simplicitate Christi.

tus, hoc modo prænunciatur Isai.19. *Mœrebunt Piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen Hamum.* *Oraculum de Hamatili Iesuitarum piscatu.*

Caput XLIV.

Alterum Argumentum est, quia Jesuitæ bonum habeant appetitum, eisq; velut fame aridis dentes dentiant, & magnum percurrant murmura ventrem, nec alia res, quam Monasteriorum opes iratum ac latrantem stomachum eorum placare, & intestinorum possit murmur compescere. Verba ipsorum sunt Iustæ defens. pag 392. *Patres Societatis* (viri desideriorum) *desiderant & APPETVNT bona Monasteriorum non propter se* (hoc Jupiter Diiq; omnes procul auertant, vt Jesuitæ, cum *Patres* sint, *sibi à filiis thesaurizari* postulent, & bona aliena propter se ipsos potius, quam ad maiorem Dei gloriam appetant) *sed vt sint in sustentationem plurium ad fidei Catholicæ propagationem incumbentium.* Sed ô famelica hominum natio, vereq; esuritionum Patres, in mentem vobis esse oportuit, quod Romanæ fidicen lyræ non minus vere, quam suauiter canit: *Secundum argumentum.* *Iesuitæ habent bonum appetitum.* *Ergo danda eis sunt Monasteria devoranda.* *Iesuitæ Patres esuritionum.*

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor. *Hydropicis similes.*

Medicina vobis opus est, quæ aluum ducat; non cibo, qui inanimenta expleat. Bulimia non implendo, sed vacuando curari postulat. *Iustus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis*, Prouer.13. *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis*, Eccles.5. *Insatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur sed TOTVM in hamo subleuabit, & congregabit in rete suum*, Eccles.14. Habac.1. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*, 1.Timoth.6. Nam & primum fidei caput siue articulum non credunt, esse scilicet vnum Deum, eumq; patrem omnipotentem, qui necessaria dare filiis velit & possit (nam & Aurum faciunt Deum, quod plus quam Deum diligunt, eius causa iniuste facere & Deum offendere non dubitantes, & De voluntatem aut facultatem suos alendi deesse putant) & cum alienarum *Medicina vacuante, nō cibo replente curari debent.* *Auaritia enim impleri nequit.* *Auari errāt à fide.* *Et inserunt se doloribus multis.*

opum, quas vident, potiores fieri nequeunt, dolent animisq; anguntur & cruciantur. Nullum proinde aliud morbi habent remedium, quam vt auidum doment Spiritum, & oculos compescant, causamque morbi, quæ est superuacuorum cupiditas, ex animo eiiciant, velut Prouerb.23.monentur: *Noli laborare vt diteris, sed prudentia tua pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Et Luc.12. *Nolite quærere, quid manducetis aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli* (id est, ne erigite oculos ad opes, superuacuas, quas sine peccato habere nō potestis) *Hæc enim omnia gentes mundi quærūt.* Etsi nec eruditiores gentilium oculis suis tam alte subuolare permiserunt, vt superuacua & inania expeterent. Est enim Epicuri scitum: *Si ad naturam viues, numquam eris pauper: si ad opinionem, numquam eris diues.* quod Seneca sic explanat: *Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, vbi desinant non habent. nullus enim terminus falso est. Via eunti aliquid extremum est, error immensus est.*

Iesuitæ primum omniū auaritiam suam sanare debent.

Ne superuacua appetant.

Caput XLV.

Tertium argumentum. Iesuitæ de Papa & Cæsare bene sperant. Non ergo spes sua debet eos confundere.

Tertium Argumentum est, quia bonam Iesuitæ de Pontifice & Cæsare spem habeant: ad quos cum hic *sermo Dei factus sit, Vos Dij estis* (Johan.10.) minime decere, vt Jesuitas eis fretos spes sua confundat. Aliter quippe Dij isti multis desperationis causam afferrent, vt abirent clanculumque se suspenderent. *Si Pontificis* (inquiunt) *atque Cæsaris consilium, vt sperare licet, de bonis quibusdam Ecclesiasticis ad Scholas & Gymnasia applicandis successum habiturum sit, dubitari non potest, Patrum Societatis operam adhibitum iri.* At enim fulmine isto hæc eorum spes dissipatur Ierem.17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cum venerit bonum.* Idumæos certe, filios Esau, non dissimiliter olim perdidit iniusta alienorum bonorum cupiditas, & fiducia quam in cauernis Petræ inque Collis altitudine, tamquam in gratia & fauore Pontificis & Cæsaris, collocatam habebant, velut oracula prophetarum docent, quæ non magis de Esauitis, quam de imitatoribus & cognatis eorum Jesuitis interpretari licet. Jerem. 49. *Ecce paruulum dedi te in gentibus* (Societatem inter Religiosos minimam) *contemptibilem inter homines. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui: quia habitas in cauernis Petræ* (totque priuilegiis à Petri successore munitus

Esauitas olim similiter vt Iesuitas perdidit auaritia & spes in ope humana.

Populus Idumæus figura Ordinis Iesuitici.

nitus es) *& apprehendere niteris altitudinem collis* (id est, Celsitudinem Principum tibi præsidio futuram speras, in quorum gratiam malis pariter bonisque artibus irrepsisti, quo argumento Jesuitæ Justæ defens. pag. 160. prædicant: *Austria & Bauaria Principes, qui Monasteriorum translationes à Sede Apostolica impetrarunt, nos indefensos non relinquent*, quando scilicet Papa priorum Pontificum, à Jesuitis eorumque suffragatoribus circumuentorum, acta rescindet, ac Monasteria Ordinibus suis restitui iubebit, tum Austriaci & Bauari arma pro Jesuitis aduersus Pontificem capient, id perinde est ac si dicerent, quicquid Sabini somniauerint, hauddubie euadet exituque comprobabitur) *Cum exaltaueris quasi Aquila nidum tuum, inde detraham te. Periit consilium à filiis*(Societatis) *inutilis facta est sapientia eorum. Vastatum est semen eius*(seu Tirones aut Nouitij) *& Fratres eius* (qui Fratres Nolares prohibentur) *& vicini eius: & non erit.* Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom, in die Ierusalem: qui dicunt, Exinanite, exinanite vsq; ad fundamentum in ea*, & omnem Benedicti familiam domiciliis & latifundiis suis euertite, interq; Episcopos, Cardinales, Principes, Milites & Jesuitas Monasteria & bona eorum partite. Abd. 1. *Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob* (ordinem S. Benedicti) *operiet te confusio & peribis in æternum. In die cum stares ex aduerso, quando extranei ingrediebantur portas eius, & super Ierusalem mittebant sortem* (Monasteria diuidentes) *tu quoq; eras quasi vnus ex eis.* Ezech. 35. *Hæc dicit Dominus ad te mons Seir. Audiui vniuersa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israël* (id est, de antiquis Monachorum Ordinibus, quos libris editis infamasti) *dicens, Deserti, nobis ad deuorandum dati sunt* (Pontifex & Cæsar in conscientia obligantur Monasteria exstincta in Jesuitarum Collegia conuertere) *sicut gauisus es super hæreditatem domus Israël, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi. Dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis*, & omnis populus dicat, Amen.

Noll Bryder.

CAPVT XLVI.

Quartum argumentum.

QVartum Argumentum est, *quia institutum Societatis peculiariter ad hoc tendat, vt Collegia instituantur*, ex Monasteriorum nempe ruinis aut alienorum bonorum rapinis, à quibus Societatis institutor & conditor Ignatius cum etiamnum ad legionem bellator esset, minime alienus fuisse, nec à solita militum rapacitate quicquam demutasse sine vlla eius contumelia creditur. Vt enim ipsi agnoscunt Placidæ Disceptat. pag. 25. *Negotiator suas fraudes, Miles suas Rapinas sibi obiici, vtcumq; patitur, nec tam tener animoq; mollis est: vt nota mundo delicta taxari indignetur.*

Iesuitarum institutũ & professio est viuere ex rapto.

Cum conditor Societatis fuerit miles rapinis assuetus.

De quo prædictum est fore raptorē animarum.

Etsi autem militiam mutauit, ac simul cum Sociorum ne dicam Furum manipulo Christo Imperatori Sacramentum dixit, non propterea Rapinam omnem eierare necesse habuit, cum de illo scilicet ex vulnere cruris claudicante Isai. 33. prædictum fuerit: *Tunc diuidentur spolia prædarum multarum: Claudi diripient Rapinam.* Nec tamen animas modò captiuas *à Forti tollere*, *& quod ablatum esset à Robusto saluare* debuit (Isai. 49.)

Atq; etiam alienarum opum.

sed etiam (si fas est credere, quod filij eius iactitant, eundem qui in illo fuit, hodie quoque in Societate Spiritum vigere) opes & facultates alienas *non quidem propter se*, quod vulgo faciunt milites (hoc enim Johannes sic eis interdixit: *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*, Luc. 3.) *sed ad maiorem Dei gloriam* aliis, qui Ecclesiæ minus sunt vtiles, auferre potuit.

Non quidem propter se. Sed ad maiorem Dei gloriam.

Scriptum quippe est Prouerb. 13. *Bonus relinquit hæredes filios & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.* Et Sapient. 10. *Iusti tulerunt spolia impiorum.*

Monachorū ordines sunt peccatores & impij. Iesuitæ verò iusti.

Cum igitur veteres Monachorum Ordines sint peccatores & impij, Societas verò vt Bellarminus in præfatione Gemitus Columbæ testatur, sit iusta, *viuumq; & verum Ecclesiæ membrum*, (quam propterea *ad plangendum* inuitat, *vt Deus alios Religiosos relaxatos cōuertat*, quo ipso satis aperte fert, reliquos Ordines non esse viua & vera Ecclesiæ membra, vnde haud dubie Societas *stans hac apud se orat: Deus gratias ago tibi, quia non sunt sicut cæteri Ordinum Religiosorum, velut etiam hic Benedictinus & Franciscanus*) quis intercedere ausit, ne Monachorum hæreditates Jesuitæ cernant, & substantiam Monasteriorum velut spolia auferant?

Societas est mulier, cui Deus dat gratiam spoliandi Ægyptum.

Societas nempe est Mulier illa, de qua sub figura & futuri vmbra Deus Exod. 3. dixit: *Postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua* (à D. Benedicti familia) *vasa argentea & aurea ac vestes. Et dabo vobis gratiam coram Ægyptiis, & spoliabitis Ægyptum.* Nec verò Benedictini, Cistertienses aliique Ordines se à Societate spoliatos diffitentur, bona vero gratia sua id factum pernegant: in quo Jesuitæ eos probi Religiosi officio nequaquam fungi insimulant. *Hi enim* (inquiunt) *ita animo comparati esse debent, vt si sua sibi* (à Jesuitis) *eripiantur, de Rapina bonorum gaudeant*, Placidæ disceptat. pag. 23. ad rationem nonam. At enim Monachi tantum ab eo absunt, vt sese à Jesuitis patrum suorum hæreditate spoliari gaudeant, vt recte se Machabæorum exemplum imitari putent, iisdemque quibus illi verbis de se profiteantur:

Iesuitæ auari & captatores sicut olim Pharisæi.

Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus: sed tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum nostrorum, quæ iniuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est, 1. Machab. 15. In captatoribus verò & Hæredipetis Jesuitis Pharisæos illos se agnoscere prædicant, qui *in sublime tollebantur, quicquid altum est.*

tum est hominibus appetentes, & sub prolixa orationis & impensarum ad ædificanda prophetarum sepulchra, inque maritima & pedestria itinera proselytos facientibus necessariarum obtentus, quodq; instructi per legem essent duces cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistri infantium (Rom.2.) viduarum domos deuorabant, & in se confidebant tamquam iusti & aspernabantur cæteros, eiusmodi carmine aut formula apud se orantes: Deus gratias ago tibi, quod non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: a foris deniq; parebant hominibus speciosi & iusti, intus autem pleni erant hyprocrisi, iniquitate, rapina & omni spurcitia, Matth.23.Luc.11.12.&16.

CAPVT XLVII.

DVodecimum Hydræ Jesuiticæ caput est Cardinalium, Episcoporum, Principum sæcularium & Militum solicitatio & inescatio, quos in prædæ partem vocant, & Monasteria atque opes eorum, quæ pauperum sunt patrimonia, inter se docent diuidere, tantum vt ipsi quoque in sacrilegij Societatem ab eis admittantur. quam etiam doctrinam eis se persuasisse, eaque re factum esse, vt plurima Monasteria reclamantibus diuinis humanisque legibus contra eorum, qui ea condiderunt, sanctiones, omni dirarum eo Thyestearum precum genere munitas, aliis vsibus applicarentur, magnifice gloriari non dubitant. Sunt enim hæc ipsorum verba in Placida Disceptatione.

Duodecimũ Hydra caput. Cardinalium, Episcoporum, Principum & Militum inescatio.

Pag. seu columna 4. *Quædam Monasteria data sunt aliis Monachis, quædam promissa etiam Ordinibus militaribus, plurima data sunt & dabuntur Episcopis, quædam Clericis sæcularibus, quædam Societati, multa in belli sumptus Principibus sæcularibus ad certos annos. Quare hæc quæstio,* vtrum Monasteria contra fundatorum mentem alio possint transferri, *ad omne hominum genus pertinet. Eadem enim debet esse in dando, petendo, accipiendo iustitia, magnumq; in damnando Pontifice, Cæsare, Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Ordinibus* (Militaribus & Monasticis) *& Doctoribus* siue Jesuitis *periculum.*

Iesuitæ gloriantur factum quod ipsi de Monasteriis faciendum suaserant.

At enim prius Cæsarem Iesuitæ, tum Pontificem circumuenerunt, alia de Iure, alia de Facto mentientes. v. g. Abbates Ordinum veterũ in Cæsaris regia procuratores, tamquam *plenipotentiarios,* siue omni auctoritate instructos gratæ voluntatis erga Cæsarem testandæ causa ei permisisse, vt multa Monasteria alio transferat: Monasteria pleraq; *esse exstincta & sub ruderibus iacere:* Veterũ Ordinum Monachos non habere

Mendaciis suis Papam & Cæsarem circumuenerunt.

homines, qui in propaganda & conseruanda fide Catholica operæpretium facere queant, cum plerique sint *ventres pigri, stupidæ pecudes, inutilia terræ pondera*: Iesuitas *multos esse, & semper fore doctrina, prudentia, virtute atq; Apostolico Spiritu præditos: Societatem ipsorum habere aromata à putredine præseruantia*, ita vt numquam corrumpi aut à pristino Spiritu & virtute degenerare possit. Huiusmodi artibus & mendaciis Pontifici & Cæsari imposuerunt: adeoq; omnes istæ Monasteriorum translationes obreptitiæ sunt ipsoq; iure NVLLÆ: quas bonæ conscientiæ Pontifex aliquando rescindet irritasq; & infectas reddet, sicut Cœlestinum III. & Innocentium III. laudatissimos Pontifices fecisse constat. Verum Societas fieri potest, vt quoniã se tantã spe decidisse videt, ac Monasteria partim penes Protestantes mansisse, partim in potestatẽ eorum rediisse intelligit, sua nunc faciat verba mulieris illius meretricis coram Salomone de puero disceptantis: *Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur*.

Itaq; Monasteriorum translationes ipso iure sunt nullæ.

Pag. 6. *Cæsar potest ex Monasteriorum bonis, & aliquando obligatur dare aliis Monachis, militibus, Ecclesiarum* siue Episcoporum *debita soluere* (maxime quando superuacuis impensis in Iesuitarum Collegia aut spectacula scænica factis rem confregerunt) *nouas parochias instituere, veteres augere, templa restaurare. Atque hic multiplex Iustitiæ ratio inuenitur. Æs alienum Ecclesiarum dissoluit: Rempublicam opis egentem adiuuat. Ex iustitia quoque Pontifex, Cæsar, Episcopi, Principes obligantur prouinciis prouidere de animarum salute: Doctores pastoresq; numero & facultate docendi sufficientes mittere. Quod si in Militem, corporum & opum defensorem, census Ecclesiasticus* BENE *impenditur, quanto magis in Iesuitas Doctores, qui animas seruant?*

Iesuitarum de iure mendacium, quo Cæsari imposuerunt.

Hinc apparet, quantopere Iesuitæ Cæsari de iure mentiti fuerint, Ius scilicet fasq; faciunt, Militibus dare bona Monasteriorum, vt æquius iustiusque credatur, ea dari Iesuitis. quasi verò minus piaculum sit, Deo bona sua eripere, quàm à mercatoribus & nobilibus prædam agere, vt sit vnde stipendia militantibus pendantur. Qui verò sunt illi, qui corpora & opes Christiani populi defendũt, legiones ne Militum cum Amalec incampestribus sub duce Iesua signis collatis depugnãtium, an verò *Moyses in vertice collis* manus ad Deum eleuãs? Id verò, sic nos Scriptura docet Exod. 17. *Cum Moyses manus leuaret, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Et Iud. 4. *Moyses Amalec confidentem in potentia sua & in exercitu suo, non ferro pugnãdo, sed precibus sanctis pugnando deiecit. Sic erunt vniuersi hostes Israel*, vt nimirum nõ Militum manibus, sed hominum Deo cohærentium precibus & meritis superentur. Et Iudic. 5. discimus victoriam Barac opus fuisse non Militum eius, etsi

Non militũ arma defendunt corpora & opes Christianorum.

Sed sanctorũ Monachorũ orationes & merita.

animis armisq; paratissimorum, sed *stellarum de cœlo aduersus Sisaram* pro Dei populo *dimicantium*: quo pacto S. Gregorius, quod Romam Langobardi obsidione diuturna capere non potuerint, ancillarum Dei in Monasteriis manus leuantium precibus & lacrymis acceptum referendum esse confitetur. Vt facile existimari queat, quo animo Iesuitas laturus fuerit, qui census sacrarum Virginum rectius in milites & ludimagistros impendi docet, & fœminarum *Virginitatem* velut *solitariam, reclusam, otiosam, sibi soli vacantem* præ sua *virginitate publica, negotiosa, prædicante* (an pædicante) *& animarum zelo ardente* contemnunt (Placid. Discept. pag. 43.) ac propterea *domibus deliciarum suarum eas eiicere, à paruulis* seu nouitiis *earum Dei laudem in perpetuum auferre*, & in domiciliis earum *Requiem* sibi quærere nō verentur, velut *Prophetas* illos *in pecunia diuinantes & pacē Ezechiæ regi ac principibus prædicantes* facere solitos Mich. 2. & 3. legimus.

Romam defenderunt orationes Virginum Monialium.

Etsi eos Iesuitæ præ sua Virginitate contemnūt.

At enim Paulus istos solitarios, reclusos, & orationi diu noctuq; instātes nequaquam sibi solis vacare, sed semper solicitos esse, multumq; e labore pro aliorum salute & perfectione capere perspicuè affirmat Col. 4. *Epaphras seruus Christi semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis pleni & perfecti in omni voluntate Dei. Testimoniū illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis.* Longe autem maius esse hominum eiusmodi semper orantium laboris pretium, quam illorū, qui Verbi & Sacramentorum administratione occupantur, Iac. 5. sic docemur: *Orate pro inuicem, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* (Ecce, quomodo orationes salutē hominibus conficiant) *Elias homo erat similis nobis, & oratione orauit, deditq; cœlum pluuiam, & terra dedit fructum suum.* Cœli sunt, qui *enarrant gloriam Dei*, siue prædicatores, vt Paulus interpretatur Rom. 10. Terra sunt audientium corda, Matth. 13. Homines ergo Eliæ solitario & in Contemplationis monte oranti ac ieiunanti similes, orationibus suis faciunt, vt *cœli dent pluuiam*, id est, vt Prædicatores salutarem doctrinam loquantur, vtque *Terra det fructum suum*, id est, vt auditores agant pœnitentiam & credant Euangelio, saluiq; fiant, ex quo perspicuum fit, auditorum pœnitentiam, fidem & salutem non Prædicatoribus, sed Contemplatoribus orantibus deberi, & horum solitudinem esse matrem tot filiorum, quos negotiosa Iesuitarum inertia nullo iure sibi vindicat, velut Isai. 49. & 54. prædictum fuit: *Lætare sterilis, quæ non paris* (non prædicas verbum, adeoq; Christo per Euangelium filios gignere non censeris) *decanta laudē & hinni* (psalmodiæ vacando) *quæ non pariebas: quoniā multi viri deserta magis, quam eius quæ habet virum. Et dices in corde tuo, Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua* (siue inclusa) *& istos quis enutriuit? ego destituta & sola: & isti, vbi hic erant?* Itaq; Paulus cū omni sanctitate sua, cumq;

Paulus testatur Monachos multū pro salute hominum laborem habere.

Et ille labor multo plus hominibus prodest, quā Iesuitarum occupatio.

Monachorū vita Contemplatiua est fœcunda mater multorum filiorum.

Paulus sanctorum orationes plus prodesse censebat, quam suam sanctitatem, prædicationem & miracula.

gratia, miraculorum, quam habebat, nondum properum Euangelij sui cursum, aut prosperum prædicationis successum promittere sibi ausus est, nisi sanctorum orationes sibi qu dem ostium sermonis aperuissent, auditoribus vero *ostium Fidei*, Act.14. Eius rei indicium ex his eius verbis fieri poterit. 2. Thess.3. *Orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur sicut & apud nos.* Col.4. *Orationi instate pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, vt manifestem illud ita vt oportet me loqui.* Eph.6. *Orate omni tempore pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, ita vt audeam prout oportet me loqui.* Et adhuc Iesuitæ persuasum aliis volunt, se demum esse animarum seruatores, & hanc laboribus suis mercedem deberi, vt Monasteria hominibus multum & vtilissimum pro aliorum salute laborem capientibus auferantur & sibi dentur, cum tamen nihil sint aliud, quam *æs sonans & cymbalum tinniens*, 1.Cor.13. *qui alios docent, se ipsos non docent* Rom.2. in quos conuenit illud Eccl.37. *Vir peritus multos erudiuit* (dignosq; pœnitentiæ fructus facere, omnia sæcularia desideria abnegare, & carnẽ suam crucifigere docuit) *& animæ suæ suauis est* (nihilq; plus quam quiuis de populo ieiunat, paupertatem vouit, vt paupertatem effugeret, obedientiam vouit, vt multis imperaret, castitatem vouit ac *se ipsum castrauit* fortasse non tam *propter regnum cœlorum*, quamq; vt paulo prius monui propter regnum culorum & pygiacam prouinciam, vt epheborum natibus iura possit reddere, eaq; theoria oculis epulas præbere) *Quia sophisticè loquitur* (dicẽs, & non faciens) *odibilis est. Omni re defraudabitur* (nec docendo quicquam aliis proderit) *Non est enim illi data à Domino gratia*, alios inducendi, vt *in humeros suscipiant onera grauia, quæ ille imponit, digito autem suo non vult ea mouere*, Matth.23.

Iesuitarum labor inanis & sine fructu.

CAPVT XLVII.

Iesuitæ contendũt Monasteria sine sacrilegio posse aliò transferri.

PAg.15. *Ex Monasteriis Episcopatibus succurritur & parochiis, dantur Commendæ benemeritis, & accipiuntur. Hæc omnia Sacrilegio deputare hominis est leges ignorantis.*

At enim Spiritui sancto & sextæ Synodi Patribus visum est ingens Sacrilegium, bona Ecclesiis donata in alios, quam quos donatores voluerunt, vsus conuertere. Apostolici & Synodici Decreti verba sunt: *Valde iniquum & ingens sacrilegium est, vt quæcumq; vel pro remedio peccatorum, vel pro salute aut requie animarum suarum vnusquisq; Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, in aliud transferri aut conuerti permittatur.* Itaq; si Iesui-

Sed Spiritus sanctus contrarium docet.

Nec refert quod sæpe tales translationes fiant.

si Iesuitis fides est, spiritus sanctus, ab eoque inspirati Symmachus Papa & Concilij Patres Leges ignorarunt. Nec refert, quod Iesuitæ defendunt, *vsitatum hoc esse in Ecclesia*, seu consuetudine fieri, *vt Ordines Ordinibus substituantur*. Fit enim, vt Pontifices falsis narratibus circumueniantur, aut extraordinaria legibusque soluta vtantur potestate, cuius ius eis facit iusta causa, hoc est vel magna & euidens Ecclesiæ vtilitas vel necessitas, si nempe Ordinis eiusdem desint Monachi quos in Monasteriis Ordini consecratis collocari expediat, aut si Principes ea mutari tam improbe contendant, vt grauioris mali vitandi causa Pontifex eis refragari timeat: quo casu Principes sacrilegii coram Deo nequaquam absoluuntur.

Pontifices enim vel circumuenti, vel necessitate aut publica vtilitate moti leges soluũt.

Fit etiam, vt Pontifices dominandi libidine deprauati, seq; seruos esse, obliti, *dicant in cordibus suis, Moram facit Dominus meus venire, & incipiant conseruos suos percutere*, siue iniuriis afficere, *manducentq; & bibant cum ebriosis* (Matth. 24.) id est. Ecclesiarum facultates, quæ sunt pauperum patrimonia, cum caris suis abligurriant; vt multis hominum millibus fame pereuntibus profundi et inexsaturabiles paucorum ventres Romæ distendantur: quod & Christus futurum præsignificauit, & opere impleri multa iam sæcula viderunt.

Vel etiam potestate abutuntur.

Ita vsu venit, quod ait Comicus, *Mores perduxerunt leges in potestatem suam.* quodque est Sapient 14. *Conualescente iniqua consuetudine hic error tamquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta*, siue gentium simulacra.

Vitiosus ac iniquus mos numquam peccato vacat.

qualia sunt Episcopi, *qui os habent, & non loquuntur* (nec Verbum Dei prædicant) *oculos habent, & non vident* (cum tam officium eorum sit *videre visiones* seu sacras literas, Isai. 29. & *diligenter agnoscere vultum pecoris sui, & considerate greges suos* Prouer. 27.) *aures habent, & non audiunt* (nec sapientum monita, nec *pauperes vociferantes, quibus non est adiutor*, Iob. 29.) *nares habent, & non odorant* (eoque fit, vt Iesuitarum consuetudine non indelectentur, qui se tamen allii ulpicique pleniores esse, quam Romanos remiges, & nauteam hircumque ab aliis sapere, hoc est, in orbe vniuerso inuisos & infames esse vltro confitentur) *manus habent, & non palpant* (adeoque nihil boni operis faciunt) *pedes habent, & non ambulant* (non *currunt viam mandatorum Dei*, Psal. 118. nec *ante oues vadunt, exemplum bonorum operum in omnibus se ipsos præbentes*, Iohan. 10. Tit. 2.) *nec clamant in gutture suo* (ac velut *Idola Regibus nec benedicunt, nec maledicunt*, Baruc. 6 sed quicquid libeat, agere eos sinunt) *Similes illis sunt, qui faciunt ea* (Psal. 113.) id est, nullo genere meliores, qui sua vel electione, vel confirmatione eius notæ Pastores Christi gregibus præficiunt. An ergo quia iam more fit, vt tales subrogentur Episcopi, hinc Iesuitæ cogent & efficient, grauissimo vacare peccato siue ipsos, siue eorum suffragatores & confirmatores?

Qualis mos est quod Episcopi sint similes Idolis.

Contra quos omnes Religiosi velut tubam debent exaltare vocem suam.

Quanto Religioso homine, de Societate præsertim Iesu glorianti foret dignius, si velut tuba exaltarent vocem suam, nec istas modo vitij probrique plenas ineptissimorum hominum electiones & comprobationes, sed etiā sacrilegas Monasteriorum profanationes tralatitio & obsoleto illo Commendarum & Administrationum schemate opertas, iamque non semel sacrorum Conciliorum & Pontificum decretis notatas, damnatas ac vetitas, propheticorum oraculorum fulmine sic percellerent? *Propter sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam. Ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & virtute, vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum: Audite hoc Principes domus Iacob, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis: qui ædificatis sion in sanguinibus, Ierusalem in iniquitate: qui odio habetis bonum, & diligitis malum. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit.* Isai. 62. Mich. 3. *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia* (aut morem eorum iniquum) *custodiatis*, Ezech 20. *Ne sequamini turbam ad faciendum malum. quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt qui intrant per eam*, Exod. 23. Matth. 7. *Ne quæratis vobis comites ad supplicium, nec gaudeatis: quia plures inueneritis. Non enim propterea minus ardebitis, quia cum multis ardebitis* S. Augustin. homil. 50. de Pænitent.

Sicut veri propheta fecerunt.

Consuetudo & exempla praua aliorum neminem excusant.

Caput XLIX.

Iesuitæ prædicant multa Monasteria à Cæsare aliò esse translata.

Pag. 21: *Iustas esse causas Monasteriorum fundationes in meliores vsus conuertendi, iam Pontifex, Cæsar, Episcopi, Principes iudicarunt & verbis & factis: Data sunt Monasteria in belli sumptus: data MVLTA Episcopis, data ad seminaria, data Parochijs.*

Supra Cæsaris verba ex compluribus eius literis recitaui, quibus iudicat, se saluo Ecclesiarum Aduocati officio saluoq; iureiurando, quo se Imperii Ordinibus obstrinxit, nec ipsum Monasteria in alios vsus posse conuertere, nec Pontifici, vt id faciat, permittere. Et Pontifex, respondit, se istam eius voluntatem ratam & gratam habere, nihilq; Romæ contra tentatum iri. Ex quo certi sumus, eos ita iudicasse, nullas esse Monasteriorum alio conuertendi causas, & sacramenti religionem Cæsari obstare, ne aduersus eorum, qui Monasteria condiderunt, sanctiones quicquam statuere de illis possit. Cui eorum sententiæ qui subscribunt; simul illud sentiunt, quod Filiutii Iesuitæ verbis supra ostensum est, *Pontificem & Cæsarem tam ex officio, quam quasi ex contractu cum ijs,*

Etsi Cæsar agnouit, nullas esse eius rei iustas causas.

qui

qui Ecclesiæ bona sua reliquerũt, obligatos esse lege diuina & naturali tã illis, quã ijs, in quorum emolumentum relicta sunt, ea non alienare: & si contrarium fiat, eos iniuriam facere Fundatoribus, lædere vtilitatẽ publicam cultumq; Religionis: facere etiam iniuriam successoribus Religiosorum, & ex iustitia teneri reparare id, quod interest, tam in fama & existimatione, quam in bonis temporibus. Atque hoc consentaneum esse communi Theologorum & Iurisconsultorum atque etiam primariorum Iesuitarum sententiæ in Astro inexstincto quæst. 3. num. 4. & 5. accuratè demonstratur. Verum tamen si ita est, vt hic Iesuitæ iactant, vt Imperator se de iustissima sententia, ipsi etiam Pontifici probata, Confessarii sui artibus & dolis demoueri passus aliter fecerit, quam iuratus fuerat, quamque se facere debere & velle tot publicis priuatisque tabulis fidem firmauerat, non est cur causam mutatæ eius fortunæ tantarumque calamitatum, quæ ipsi postea omnibusque Germaniæ Catholicis incubuerunt, lõgius arcessamus. Quod enim Sedechiæ Regi Iudæ & Principibus eius Ierem. 34 & 37. contigisse discimus, *in figura factum est nostri, scriptum est autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt*, docente Apostolo 1. Corint. 10. Illigratam quasi voluntatem suam Deo testatam facientes, quod Chaldæorum exercitus soluta Hierosolymæ obsidione discessisset, *conuersi erant, & fecerant quod rectum erat in oculis Dei, & inierant pactum in conspectu Dei in templo eius, vt vnusquisque seruos & ancillas Hebræi generis manu emitteret, ac nequaquam dominaretur eis, & dimiserant eos liberos. Sed conuersi deinceps retraxerunt seruos & ancillas quos dimiserant liberos, & subiugauerunt sibi in famulos & famulas.* Lucrum quod eis ista sententiæ & propositi mutatio mox attulit, ista Dei comminatione continetur: *Regem & Principes eius & sacerdotes, & omnem populum, qui præuaricati sunt fœdus meum & reduxerunt seruos & ancillas suas: dabo eos in manus inimicorum suorum. Et reducam Chaldæos qui recesserunt à vobis, & præliabuntur aduersus ciuitatem hanc. Sed etiamsi percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, & derelicti ex eis fuerint aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent, & capient hanc ciuitatem, & incendent eam igni. Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.* Eat nunc aliquis & miretur, cur Cæsar iustissimi propositi Iesuitarum suorum impulsu mutati, totque Monasteriorum in vitis diuinis & humanis legibus alio translatorum hoc nunc precium ferat, vt domi suæ inimicos Reges ac Principes summa imis miscere, ferro & flamma grassari, omnia denique ex libidine agere videat, ac neque in seruis suis quiequam

Itaq; minime mirandum eius fortunam fuisse mutatam.

Quem euentum ex Sedechia regis exemplo augurari sibi poterat.

quam fidei inueniat, omnisque eius fortuna diuino nudata præsidio ac prope modo solo arundineo Hispanorum baculo innixa tenui filo pendere videatur.

CAPVT L.

PAg. 14. *Ordines Monastici honori sibi ducunt, si ex suo corpore Religiosi ad Episcopatus assumantur, si quædam Monasteria in Episcopatus evehantur: nec intentionem fundatorum, nec iura Ordinis obiectant. Cur igitur ægre ferrent, quædam Monasteria Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis cedere?*

Monasteria sunt vera Episcoporũ seminaria. In quibus discuntur & exercentur virtutes Episcopo necessaria.

Habent Monachi causam gaudendi, nec tam sibi, quam populis gratulandi, si qui ex Monasteriis ad Episcopatum vocentur, cum Monasteria demum vera sint Episcoporum seminaria, in quibus homines ea discunt & facere assuescunt, quæ Episcopos præstare oportet, si se & alios saluos cupiant. *Episcopum* quippe *oportet esse Doctorem, Sacerdotẽ, Hospitalem,* Humilitatis magistrum, *egentem & multos locupletantem,* siue ad victum necessariis donantem, *alimentis & quibus tegatur contentum, patientem, mansuetum, in omnibus* denique *exemplum bonorum operum,* 1. Timot. 3. & 6. & 2. Timot. 2. Tit. 2. & 2 Corint. 6. Quomodo vero taceri, qui numquam fuerit in schola, in qua talia verbis & exemplis docentur? quomodo erit *scriba* à Deo *Doctus ad regnum cælorum, qui de sacræ* Scripturæ *thesauro proferre possit noua & vetera,* si non multis annis *voluntas eius fuit in lege Domini, vt in ea meditaretur die ac nocte*? quomodo magnam, raram & difficilem illam virtutem *Humilitatis honoratæ* exercebit, cui quotidiana Humilitatis præcepta, exempla, adiumenta & exercitia, quæ extra Monasteria nusquam habentur, numquam contigerunt? Abesse ergo non poterit, quin suo exemplo verum faciat illud Psalmi 49. *Homo cum in honore esset, non intellexit: Comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* quomodo vero faciet Miraculum illud grande, quo Episcopos testimonia Dei oportet reddere credibilia, vt *sciat* simul *abundare & penuriam pati* (Philip. 4.) *fortitudinem gentium deuorare*, seu superare, *& in diuitijs esse admirabilem* (Isai. 61.) *esse diuitem, & post aurum non abire nec mala facere, cum possit,* sed facere vt *eleemosynas suas enarret Ecclesia sanctorum,* Eccli 31. Ista omnia præstare est *facere mirabilia in vita sua*, & diuinæ potentiæ dare specimen, quod multo maioris momenti esse ad Evangelium hominibus persuadendum, quam multorum mortuorum resuscitationẽ, disertim S. Chrysostomus affirmat Homil. 46 in Matth. Atque hac ipsa de causa Spiritus Sanctus in pluribus Conciliis Episcopos non

Episcopus debet scire noua & vetera.

Debet exhibere Humilitatem in honore.

Et paupertatem in abundatia.

Quæ sunt Miracula, quæ Episcopus facere tenetur.

Conciliorũ

non aliunde legi iussit, quam ex Benedictinorum Monasteriis: quoniã cum ex formula viuunt sanctique Patris sui præscriptum custodiunt, omnem vitam in sacrarum literarum meditatione consumunt, & tam Humilitatem, quam Paupertatem copiosam & opulentam, in alendis egentibus & hospitibus suscipiendis occupatam, exemplo, vsu & exercitatione sibi familiarem facilemque reddunt: id quod tantus Pontificum, Cardinalium, Episcoporum & Abbatum numerus testatum facit, quos nec honores, nec opes, quibus calcandis tanto tempore adsueti fuerant, deprauare potuerunt, quin cum ob alia singularium virtutum exempla, tum præcipue ob Humilitatem honore & imperio affectam, & Paupertatem opulentam ac beneficam multosque locupletantem beatis Diuorum ordinibus Ecclesiæ decreto adscribi mererentur. Quid ni ergo Monachi sibi honorificum, populis vero salutare ducant, si quos Deus ex medio ipsorum ad animarum regimẽ euocet; vt quas diuturno studio labore & exercitio sibi compararunt virtutes, eas iam *super candelabro positi omnibus qui in Dei domo sunt lucere* sinant, *vt videant homines opera eorum bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est*? Matth. 5. Contra ea iustissimam dolendi ac populi sortem deplorandi causam habent, cum Episcopos ex suilibus, aut porcorum caulis siue Haris legi vident, *qui nutriti in croceis amplexantur stercora* (Thren 4.) hoc est, molliter educati & honorari assueti; *huius mundi lucra*, honores, opes & voluptates adamãt, quæ tamen *arbitrari debuissent vt stercora propter eminentem scientiam Christi vtque Christum lucrifacerent* (Phil. 3.) quod Pauli imitatione Monachi faciunt, seque Christo dignos præbent milites, de quibus prædictum fuit Zach. 9. & 10. *Erunt quasi fortes, aurum conculcantes vt lutum platearum in prælio: & bellabunt* (seu triumphabunt) *quia Dominus cum eis* (in quo eos confortante omnia possunt, in honore præstare Humilitatem, & in abundantia Paupertatem) *& confundentur adscensores equorum*. quales sunt Episcopi pedestrem Christi militiam, siue humilitatis & paupertatis exercitia aspernati, & equis vehi soliti, hoc est, *in sublime se attollẽtes quod que altum est hominibus* appetentes, honores puta & opes (Luc. 12. & 16.) qui *contenti non sunt alimentis & quibus tegantur, sed volunt fieri diuites, ex eoque incidunt in tentationem & laqueos Diaboli* 1. Timot. 6. Tales non sunt *arbores fructiferæ in domo Dei* (Psal 51.) *non olea cum pinguedine, non ficus cum dulcedine, non vitis cum liquore Deum & homines lætificante*, sed sunt infelix lignum, *Rhamnus* cum spinis duris & acutis, quæ Christo interprete sunt *fallaciæ diuitiarum solicitudo sæculi & Concupiscentia*, siue Auaritia, Ambitio & Voluptates vitæ, Matth. 13. Cum ergo tales Rhamnos *reliqua ligna super se Reges constituunt, vt sub vmbra eorum requiescant*, nec in vita sua

decretum, vt Episcopi sumantur ex Monasterijs Benedictinis.

Vbi duæ illæ virtutes verbo & exemplo docentur.

Dolendum est Episcopos legi ex medio Porcorum. Stercora amplexantium.

Episcopi Christo pedibus, non equo militare debent.

Aliter non sunt arbores fructiferæ, sed Rhamni.

Vnde egreſſus ignis ipſos & alios deuorat.

Epicuri porco digna ab eis inquietentur, ibi enim vero vſu venit, *vt egrediatur ignis de rhamno, & cum ipſum, tum cedros Libani deuoret.* Iudic. 9.

Capvt LI.

NEc verò minor aut diuerſa Monachis gaudendi cauſa eſt, ſi eorum Monaſteria Epiſcopatus honore exaltentur, vt nimirum & ex ipſorum collegio lectus Abbas idem ſit populi Epiſcopus: quales abhinc ſexcentos annos omnes fere totius Europæ Epiſcopos fuiſſe, & pleroſque ingentium meritorum cauſa inter Diuos adſcriptitios ſiue Indigetes numerari conſtat. Nec enim id vel conditorum voluntati refragatur, vel iura Ordinis vlla ex parte imminuit: quod longe ſecus eſt, ſi Monaſterium deſinat eſſe Monaſterium, res Chalcedonenſis Concilii Canone interdicta. Ac proptereà Innocentius III. nec honorem Eccleſiæ, nec diuini cultus amplificationem ſatis iuſtam eſſe cauſam cenſuit, cur ex Monaſterio Pontifex Epiſcopatum facere poſſit: vt omnibus appareat, quanto minus cauſæ ſit, cur Monaſteria in Ludi mag'ſtrorum domicilia aut Gymnaſia conuertantur. Ipſa Pontificis verba ſunt in epiſtola ad Gulielmum Cardinalem Rhemenſem Archiepiſcopum: *Peruenit ad audientiam noſtram, quod ad ampliationem diuini cultus & honorem Eccleſiæ Gallicanæ in caſtro tuo Moſobin in Abbatia eiuſdem caſtri diſpoſuiſti nouum Epiſcopatum erigere. Nos eius rei liberam tibi facultatem auctoritate Apoſtolica concedimus, ita tamen vt ab eodem Monaſterio Monachi nulla tenus excludantur: ne forte venire contra ſanctiones Canonicas videremur, quibus prouida fuit deliberatione ſtatutum, vt quæ SEMEL Deo dedicata ſunt Monaſteria, SEMPER maneant Monaſteria: cum & hodie generaliter ſtatuatur, vt ORDO Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundum Benedicti Regulam dignoſcitur inſtitutus, PERPETVIS ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.* Sed aut fallor, aut Ieſuitæ Innocentiũ leges ignoraſſe inſimulabunt, qui neſcierit, *neminem Fundatorum futuris Pontificibus cõditiones poſuiſſe* (Placid. Diſcept. pag 20) & *Papam eſſe ſupra ius & extra ius eſſe omnia & ſuper omnia, & de poteſtate abſoluta poſſe quicquid vult, & quam diu viuit, poſſe mutare quadrata rotundis:* quod quamuis Canonum Interpretes intelligi velint *claue non errante, & de iis tantum, quæ iuris ſunt poſitiui:* Ieſuitæ tamen Clauem nihil errare, nec minus diuini & naturalis iuris legibus ſolutam eſſe Pontificis poteſtatẽ contendent, ſi quid in iis mutari, aboleri, irritumque fieri Societati ipſorum expediat. Ea quippe *Extraordinaria eſt cauſa,* quæ Pontificem omnis

Abbates ſimul eſſe Epiſcopos nihil noui eſt.

Monaſteria ſemper debẽt manere Monaſteria.

Neque vlla ex cauſa in aliud mutari.

Maxime quæ ſunt Ordinis S. Benedicti.

Ieſuitæ Papam hortãtur violare ſacros Canones,

Dicunt eum non poſſe errare ſi Societatis cauſa contra Canones faciat.

omnis diuini humanique iuris obligatione liberat, atque ipsos Indigetes seu beatorum hominum spiritus in cælo regnantes nutui eius ditionique subiicit. Quod autem plus satis causæ habeant Monachorum Ordines, cur grauiter ferant hæreditates patrum suorum Cardinalibus & Episcopis commendari, siue administrandas committi Monasteria nefas fuerit spiritui sancto non credere, cuius ea de re iudicium habemus in Lateran. Concil. sub Leone X. totidem verbis declaratum: *Quoniam ex Commendis Monasteriorum Monasteria ipsa tam in spiritualibus, quam in temporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendariorum negligentia, partim auaritia vel incuria collabuntur, & in dies diuinus cultus in eis magis diminuitur: volumus & SANCIMVS, vt cum illa per obitum Abbatum vacauerint, nullo modo possint commendari: sed de persona idonea eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates prout decet præfuturi sint.* Idem ipsum Tridentina synodo sancitum videmus. Et Clemens V. in quadam Constitutione, quæ in Canonum codice legitur, sibi velut oculato testi credere omnes postulat, istas Monasteriorum Commendationes non modo nihil vtilitatis illis afferre, sed etiam cum ipsis, tum multorum animabus & corporibus, tum denique Romanæ Ecclesiæ *ad noxam redundare*, ac propterea bonæ conscientiæ Pontificem non modo nullum Monasterium *sub Commenda Curæ, Custodia aut Administrationis titulo siue perpetuo, siue ad certi temporis spatium cuiquam posse committere*, sed etiam debere *omnes* talium Commendarum *prouisiones cassare, annullare & decernere, vt de cætero non habeant aliquam roboris firmitatem.* Et adhuc quærere Iesuitæ audent, *Cur ægre ferrent Ordines Monasteria eorum Cardinalibus in Commendam dari, aut Episcoporum mensis incorporari, aut in Societatis Collegia conuerti?* Quid ergo futurum putabimus, si vmquam quemquam hiulcæ istius gentis & alienas hæreditates esurientis lupi instar inhiantis Pontificatu potiri contingeret? Nempe passim triste illud carmen exaudiretur: *Veteres migrate coloni.* Vitelliani gregis Pontifex Iulianum Apostatam nobis redderet, nec minus quam ille salsus inueniri vellet. Et sicut ille Christianos monebat, vt aures eorum illis Christi verbis assidue personarent, *Beati pauperes*: similiter ipse hanc Placidæ Disceptationis cantilenam Monachis cantaret: *Viri Religiosi ita animo comparati esse debent, vt de Rapina bonorum suorum gaudeant.* Sed hoc Deus omen obruet, atque *in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos Ignis.*

Fructum eorum de terra perdet, & semen eorum de filijs hominum.

Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire,

Psal. 20.

Imo ipsos sanctos in cælo suam voluntatem Pontifici subijcere.

Spiritus sanctus prohibuit Monasteria dari cuiquam in Commendam.

Quia id maximorum malorum causa sit.

Væ Monachis, si quis vmquam Iesuita fieret Pontifex. Ille enim imitaretur Iulianum Apostatam. Et Monachos bonis spoliatos iuberet gaudere.

CAPVT

CAPVT LII.

Episcopi à Monasteriis adiuti ad tolerandas belli impensas.

PAg 34. *Episcopi grauia damna passi sunt, æs alienum contraxerunt. Ipsi auxilio Monasteriorum vacantium egent petunt & accipiunt.*

Fortassis autem non minus verum est, non neminem eorum à subiecto populo & à Diæcesis suæ Abbatibus ad belli pro Religione suscepti & gesti impensas plus exegisse, quam contulisse: æs autem alienum non alio magis nomine contractum habere, quam quod profundum Societatis ventrem, *qui numquam dicit, sufficit*, quanticumque iacturis expleri à se posse perperam persuasum haberet, nec minus dapsiliter & profusè sumtus faceret, quam si immortale sibi aurum foret, ita vt impensas cum fructibus commetiri parum meminisset. Quanto ergo æquius fuerat Episcopos Collegiorum Iesuiticorum, quam Monasteriorum compotes fieri, cum Iesuitarum maxime causa rem confregerint? Haud etiamscio, quam bene nonnullis Monasteria petiisse & accepisse vertetit: ne forte in eis oraculum illud Ierem. 12. opere impletum fuerit: *Pastores multi demoliti sunt Vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederũt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis* (*Illustrem* vero *Christi portionem esse Monasteria, & Pastores* siue Episcopos *ea seruili opera mancipare, eorumque iura vsurpare velle* Concilii V. Toletani Patres Can. 51. conqueruntur, quanto vero cum pretio maloque suo id illi faciant, sic porro Propheta exsequitur) *Seminauerunt triticum, & spinas messuerunt: Hæreditatem acceperunt, & non eis proderit. Hæc dicit Dominus aduersum omnes vicinos meos pessimos* (nemo autem æque Deo vicinus & coniunctus est atque Pastor, eius vices gerens, velut ipse Zach. 13. docet: *Framea suscitare super Pastorem meum & super virum cohærentem mihi*) *qui tangunt Hæreditatem, quam distribui populo meo* (cum facultatis Monasteriorum sint patrimonia pauperum, vt S. Bernardus ait) *Ecce ego euellam eos de terra sua, & domum Iuda euellam de medio eorum super omnes vias deserti venerunt vastatores quia gladius Domini deuorabit ab extremo terræ vsq; ad extremum eius, & non est pax vniuersa carni.* Hæc si plerisque Germaniæ Episcopis vsu venisse ante oculos est ac paret, si verum est, quod hic Iesuitæ prædicant eos tetigisse Hæreditatem Christi, quam pauperibus distribuerat, siue Monasteria in Cõmendam aut mentis suis incorporanda accepisse: an dubitabimus quin Iesuitæ sacrilegiorũ auctores & cõsultores fundi Germanici calamitas & capitalis Reipub. pestis ac pernicies censeri debeãt?

Quidam opes suas Iesuitarum causa prodegerunt.

Quibusdam Monasteria obtinuisse pessime vertit.

Vt ipsis & patria vastatores Deus & gladium immitteret. Cuius rei gratiam Iesuitis debere se nouerint.

CAPVT

Caput LIII.

PAg.45. *Ex iis*, quæ hoc libro toto disputauimus, *concluditur Monasteria diuersi Ordinis posse Ordinibus militaribus tribui: posse Episcopis vel ad tempus dari, vel incorporari ad soluendum æs alienum* (in magnificis Iesuitarum ædificationibus, inque ludorum scœnicorum apparatu impendiorum collatione adiuuandis maxime contractū) *posse eadem ratione* (sine iisdem de causis) *sæcularibus Principibus ad tempus dari: posse quædam in seminaria, scholas* (Iesuitarum) *collegia, hospitalia conuerti.*

Iesuitæ Monasteria faciunt Mysorum prædā.

Hoc enim uero est vtilitatis suæ causa, vt multa scilicet Monasteria auidissimis Iesuitarū faucibus ingerantur, Cardinales, Episcopos, Principes & Milites in prædæ partem aduocare, & ad coëundam secum sacrilegij societatem cohortari ac piaculares facere. Quis jam Lutherum miretur eodem plane vocis calamiq; classico Principes ac Ciuitates ad occupanda, deuoranda, inq; succum & sanguinem conuertenda Ecclesiarum ac Monasteriorum bona excitasse, cum ipsos Principum & Episcoporum Confessarios Iesuitas, qui adhuc locorum persuadere hominibus contenderant, sibi Monasteria inuitis obtrudi, seq; non nisi coactos & dolentes ea accipere, nunc posito pudore palam libris editis impias istas, nefarias ac sacrilegas Monasteriorum profanationes velut non modo permissas, sed etiam necessarias atq; Ecclesiæ inprimis conducibiles Principibus & Episcopis commendare & consulere videamus? Quorum consilium quantum impietatis habeat, quantumque cum ipsis, tum omnibus eo vtentibus, tum denique regnis & populis detrimentum, vel dicam exitium & interitum importaturum merito metuatur, ex Dei cùm Verbo, tū opere à nobis judicari potest. Verbum eius est Principes à societate hominum S. Benedicti hæreditatem inhiantium hoc modo deterrentis Prouerb.1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini* (insidiosa & mendaci narratione Pontificē circumueniamus, vt cum venia eius Monasteriorum opes, quæ sunt panis egentium, sanguis & vita pauperum nostri juris faciamus) *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viuentem & integrum, quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus: implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum. Marsupium vnum sit omniū nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis. Pedes enim illorum* (non calceati in præparationem *Euangelij pacis*, sed per scruposam & spinosam auaritiæ viam) *ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem* (quod faciunt Monasteriorum

Iesuitæ eodē quo Lutherus classico Principes ad destruenda & sibi vindicanda monasteria excitant.

Eorum suasoriam esse impiam & reipubl. perniciosam docetur Dei Verbo.

vectigalia pauperibus alendis conſecrata & Monachorum fidei credita aduerſis conditorum voluntatibus domos ſuas aduertendo. nam *Panis egentium eſt vita pauperum, qui defraudat illum homo ſanguinis eſt*, ſiue homiſida, Eccleſ. 34.) *Ipſi quoq; contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas, quia ſemita omnis auari animas poſſidentium rapiunt*, ſiue in gehennam abducunt, Prouerb. 20. *Ruina eſt homini deuorare Sanctos, & poſt vota retractare*, id eſt, illi ruinam & excidium domibus ſuis parant, qui bona Sanctis cœlitibus conſecrata deuorant, quæque DEO pij homines ex voto obtulerunt, ea in alios uſus conuertunt. Pſalm. 82. *Super populum tuum malignauerunt conſilium*, (id eſt, in populi fraudem, cui ſacrilega crudelitate ſurripitur, quicquid Monaſteriis demitur) *& cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos* (quorum honori Monaſteria fuerunt conſecrata) *Dixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael ultra* (ut ſcilicet irritum fiat, ipſoque exitu vanitatis arguatur oraculum Iſaac de S. Benedicto Monachorum Patriarcha, cuius Iſrael ſiue Iacob figura fuit, Geneſ. 27. *Benedixi ei, & erit Benedictus. Omnes fratres eius ſeruituti illius ſubjugaui: qui maledixerit ei, ſit ille maledictus: & qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur*) *Omnes Principes eorum*, qui (à Ieſuitis in ſacrilegij conſortium illecti) *dixerunt. Hæreditate poſſideamus ſanctuarium DEI: fient ut ſtercus terræ: implebuntur facies eorum ignominia, confundentur & peribunt.* Ieremiæ cap. 30. *Eiectam te vocauerunt Sion* (qua voce *Viſionem* ſeu *Contemplationem* ſignificari Auguſtinus teſtatur in Pſal. 64. ut DEI familiam rerum diuinarum Contemplationi vacantem compellari intelligamus) *Omnes qui comedunt te, deuorabuntur, & vniuerſi hoſtes tui in captiuitatem ducentur: & qui te vaſtant, vaſtabuntur, cunctoſq; prædatores tuos dabo in prædam.*

Idem docetur Dei opere.

CAPVT LIV.

Exemplum ſacrilegi Achan.

OPus DEI fuit ſacrilegi Achan ſupplicium Ioſ. 6. & 7. Cum enim DEVS ex ſpoliis urbis Iericho *Omne aurum, argentum & æs anathema fieri*, id eſt, ſibi conſecrari *inque theſauris ſuis reponi* juſſiſſet, ſicque populum monuiſſet: *Cauete, ne de his quippiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei & ſub peccato ſint atque turbentur omnia caſtra Iſrael*, ſiue vniuerſus populus: Achan concupiſcentia tentatus inde auri & argenti pauxillum abſtulit & abſcondit. quo eius ſacrilegio DEVS irritatus, ut popu-

populus suus ab hostibus in fugam ageretur, nec pauci corruerent, permisit. Cuius rei causam exquirenti Iosuæ respondit: *Pollutus est populus anathemate, nec poterit stare ante hostes suos, eosque fugiet. Anathema est in medio tui Israel. Non ergo ero ultrà vobiscum, donec deleatur ex vobis, qui hoc contaminatus est scelere.* Quid ergo jam habent Germaniæ Catholici, quod opis diuinæ spem eis afferat, cum manifeste multiplici anathemate sint polluti, nisi conterant eos, qui suasoriis suis tanti eos sceleris alligarunt? Opus etiam DEI futura erat urbis Hierosolymæ & regni Iudaici euersio ipsiusque Templi excidium, nisi Rex Ezechias & Principes eius Michææ monitu cum aliorum peccatorum suorum, tum nominatim huius pœnitentiam egissent, quod eis à DEO sic exprobratum supra retulimus: *Sacerdotes in mercede docebant, & Prophetæ in pecunia diuinabant & seducebant populum meum pacem* regi & regno *prædicantes, si dedissent in ore eorum quippiam* (prægrandes alienarũ hæreditatum bolos) *mulieres populi mei* (familias religiosas) *ejecistis de domo deliciarum suarum: à paruulis* (seu nouitiis) *earum tulistis laudem meam in perpetuum* (pro psalmodia vagitus & eiulatus puerorum virgis vapulantium in Monasteria inducentes) *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem*, cum Monachos sacrasque Virgines inquietaueritis. DEI similiter opus fuit Hispanorum ex ciuitatibus domibusque suis exterminatio, grauissimumque Saracenicæ seruitutis jugum eorum ceruicibus impositum, velut locuples testis est Carolus Magnus Imperator, qui ætati qua id contigit suppar ac prope æqualis fuit, cuius capitulorum lib. 7. verba sunt: *Nouimus multa Regna & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliauerunt, resque earum alienauerunt, & Militibus loco stipendij dederunt. Quapropter nec Fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt* (sed inciderunt in hæreses) *nec victores exstiterunt, sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, & quod peius est, regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Qualiter Dominus talium criminum ultrices pœnas per Saracenos & alios populos venire permiserit, cunctis earum gesta legentibus liquet, & nisi nos ab his caueamus, similia nobis superuenire non dubitamus.* Simile Dei opus fuit ingens Caroli Crassi Imp. & vniuersæ Germaniæ ac Galliæ calamitas, ipsiusq; Imperij diuisio, & à Carolinga domo ad Vuitikindæam translatio. qua de re Helmoldi verba sunt Chronici sclauorum lib. 1. cap. 7. *Carolus Roma rediens cum grandi exercitu Nordmannos juxta Mosam fluuium apprehendit: quos obsidione coarctans, quinctodecimo demum die ad deditionem compulit. Captos ergo Tyrannos Danorum non ea qua decuit seueritate hostes DEI ultus est, sed ad sui deiectionem &*

Exemplum Regis Ezechiæ.

Exemplum Hispaniæ sub Saracenorũ iugũ missæ.

Quod Dei opus & sacrilegiorum pœnam fuisse Carolus Magnus testatur.

Exemplum Caroli Crassi.

directionem & grauem Ecclesiæ ruinam parcens impiis accepto ab eis jurejurando & fœderis conditione amplißime donatos abire permisit. At illi Regis inertiam irridentes, ubi noxia libertate potiti sunt, rursus in unum conglobati tantas strages (in Imperio) dederunt, ut crudelitas modum excesserit. Quid multa? Vrbes cum ciuibus, Episcopi cum toto grege simul obruti sunt: Ecclesiæ illustres cum fidelium caterua simul incensæ sunt. Quamobrem Carolus accusatus in Curia (id est, in Comitiis Imperij) & ob stultitiam regno fuit depositus, qua de re in Annalibus ita scribit: Regni optimates cernentes à Carolo Imperatore non modo vires corporis, verum etiam animi sensus diffugere, Arnolfum ultro in regnum attrahunt, & subito facta conspiratione ab Imperatore deficientes ad Arnolfum certatim transeunt, ita, vt in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet (mensa nempe instruenda, lecto sternendo, aqua de puteo petenda) cibus tamen & potus ex Moguntini Episcopi sumtibus administrabatur. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ mirabilis. Mittit ergo Carolus ad Arnolfum ex Imperatore effectus egenus, ex desperatis rebus, non de Imperij dignitate, sed de victu quotidiano cogitans, tantum alimentorum copiam ad subsidium vitæ præsentis SVPPLEX exposcit. Miseranda rerum facies, videre Imperatorem opulentißimum (hæreditario jure Germaniæ, Galliæ, Italiæ & bonæ Hispaniarum partis dominum, qui arbitratu suo Imperij Principatus dare posset, rursumque eripere) non solum fortunæ ornamentis destitutum, verum etiam humanæ opis egentem. Concessit autem Arnolfus nonnullos Fiscos in Alemania, unde ei alimonia præberetur. Quantum porrò detrimenti mox ipso defuncto Imperij Romani respublica ceperit, in Annalibus Fuldensibus hoc modo exponitur: Anno 888, Mortuo Carolo Reguli in Europa & regno Caroli, ui patruelis (id est, in Gallia.) excreuere. Nam Berengarius filius Eberhardi in Italia se Regem fecit, Rudolfus autem filius Conradi superiorem Burgundiam apud se statuit regaliter obtinere. Inde itaque Ludouicus filius Bosonis, & Vuito filius Lamberti Galliam Belgicam, nec non Prouinciam prout Reges habere proposuerunt. Odo filius Rodberti usque ad Ligerim fluuium & Aquitanicam prouinciam sibi in usum usurpauit. Iam tantarum non ipsius modo Caroli, sed etiam Germaniæ & Galliæ miseriarum, præcipuè verò corruptorum Caroli consiliorum & imminutarum mentis virium non alia fuit causa, quàm unum solum S. Emmerami monasterium Embriconi Ratisponensi Episcopo commendatum, siue in Commendam datum: cuius rei testem habemus ipsum Imperatorem Arnolfum, cuius Diploma Ratisponæ exstat, in quo sic legitur: Omnium successorum nostrorum magnitudo cognoscat, quod postquam patruus meus Carolus Imperator pro petitione Embriconis S. Emmerami Ecclesiam præstauit, NVMQVAM postea habuit victoriam,

Cuius culpa Dani & Sueciom. ē Germaniam vastarunt.

Ipseq; Imperio fuit priuatus.

Et ab omnibus famulis desertus.

Supplex victum mendicat.

Ipsoq; mortuo regnum diuiditur.

Multæq; prouincia ab eo deficiunt.

Sibiq; nouos Reges imponunt.

Omniū illorū malorum causa fuit unum Monasterium Episcopo commendatum.

nec

nec corporis & animæ sanitatem usq; ad finem vitæ suæ. Eant nunc Imperator & Germaniæ Principes, & quærant, quis ille fuerit, qui omnem Imperij statum usque à fundamentis commouerit, Cæsaris consilia corruperit, & florentem eius fortunam euerterit, ingentes malorum & mœrorum montes in omnes Germaniæ prouincias inuexerit, adeò denique rem redegerit, ut metus haud absit, ne nos quod factum prius fuit, iterum nunc fieri, & Caroli Crassi atque Imperij fatum à DEO instaurari videamus. Sed omen DEUS obruat, & in Iesuitas, omnium istorum malorum architectos, veraque fundi Christiani calamitate quicquid offensi est conuertat.

Hinc Imperator & Principes certi esse possunt, Iesuitas omnium Imperii calamitatũ causam esse.

CAPUT LV.

QVartum infidelitatis Iesuiticæ erga Pontificem documentum est, Romanæ Curiæ doctrina Romæ propugnata, in Galliis autem oppugnata, & impietatis, sceleris ac pestilentiæ grauiter ore & manu condemnata. Anno quippe 1625. Romæ librum ediderunt à Patriarcha cæterisque Societatis totius primoribus approbatum, tamquam in quo nihil doceatur, nisi quod Catholicæ fidei per omnia congruat. Is ita inscribitur: *Antonij Sanctarelli de Societ. Jesu tractatus de Heresi & de potestate summi Pontificis.* In eo verò leguntur sententiæ iis consentaneæ, quas multo prius Salmero, Gregorius de Valentia, Bellarminus, Suarez, Sà, Richeomus, Heissius, & alij, velut *fidei dogmata, tenendas & credendas,* libris editis docuerant. Videlicet, *Papa ac Christi unũ esse tribunal, Papam jus & potestatem habere in spiritualia simul & in omnia temporalia, & in eo de jure diuino esse utramq; potestatem, nec eam modo in ædificationem,* sicut Apostolis data fuerat, *sed etiam in destructionem: adeoq; Papam etiam sine concilio posse Imperatores & Reges non tantum propter Heresin, schisma aut quoduis crimen populo intolerabile, sed etiam propter insufficientiam, quodque personæ eorum sint inutiles, regno priuare, atque etiam interficiendos jubere, ac populos subiectos relaxato jurisjurandi vinculo potestati eorum eximere atque ab obedientia & fidei debito liberare, & ipsum regnum alteri Principi donare, & armis inuadendum sibique subjugandum permittere: Regem à Papa sine Hereticum, siue alias vitiosum aut inutilem judicatum, ac propterea per sententiam eius velut superioris regni jure priuatum, jam jus & auctoritatem imperandi amisisse, nec ultra Regem esse, sed Tyrannum, & à quouis de populo occidi posse: Clericos etiam nequaquam ulli Regum esse subditos, ac propterea nullum ab eis læsæ Maiestatis crimen committi, etiamsi rebellionem in Reges moliantur & meni-*

Quartum documentũ infidelitatis Iesuitarum erga Ponticifem.

Iesuitæ Pontifici prius utrumq; gladiũ tribuerant.

Et potestatẽ etiam in destructionem.

Eiusq; iuri & libidini Reges omnes subiecerant.

monitu atque exemplo populos rebellare, & obedientiam, fidelitatem, tributum, & omnia obsequia Principibus negare doceant: Apostolos Regibus de facto tantum, non etiam de jure subjectos fuisse. Sed postquam Sanctarelli liber in Gallias allatus fuit. Parisiensis Academia, ac proprie Sorbonicum Theologorum Collegium, quod per octo jam secula Catholicæ fidei propugnaculum, istam Curiæ Romanæ & Societaitis Iesuiticæ doctrinam atroci decreto publiee condemnauit & proscripsit, velut *exitialem ac pestilentem, meritoq; damnandam, auersandam, detestandam & abhorrendam, cùm sit noua, falsa, erronea, Verbo Dei contraria, Pontificiæ dignitati odium concilians, schismati occasionem præbens, supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogans, Principum infidelium & Hæreticorum conuersionem impediens, pacis publicæ perturbatiua, Regnorum, Statuum, Rerumq; publicarum euersiua, subditos ab obedientia & subiectione auocans, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitans.* Eiusdem verò sententiæ esse totam Ecclesiam Gallicanam paulo ante declarauerant testatumq; fecerant *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, totusq; cœtus Ecclesiasticus in Comitiis generalibus Cleri Galliæ constitutus*, in censura libri Iesuitici, cuius titulus erat, *Admonitio ad Regem*, Lutetiæ publicata, a.d. XIII. Decemb. anni M.DC.XXV. ubi testantur, *Christianam Religionem de Auctoritate Regum longe alia proponere credenda*, non minus scilicet Christianis, quàm paganis aut ethnicis Regibus, jus suum saluum esse oportere, nec cuiquam fas esse obedientiam & fidelitatem negare Principi hæretico, nedum alioqui vitioso, multo minus inutili. *Lex* (inquiunt) *diuina vetat, quod humana non permittit. dum omnem fraudem atq; contradictionem seruis erga Dominos prohibet. Quid ergo si iniqui fuerint? Absit ut cuiusquam impotentiam, libidinem & injustitiam probemus. Sed si sensum Scripturæ quæris, nulla ex parte rebellandi consilium habemus: salua Religione parendi præceptum habemus. Quamuis fortunas eripiat, libertatem tollat, seruitio premat & quæcunque Deus Regem postulantibus futura denunciat, in suorum subditorum ruinam meditetur, tamen parendum est Regi, quantumuis dyscolo, quia Deus eum instituit: parendum est Domino, quantumuis molesto, quia Deus cum eum talem futurum prauideret, nihilominus præposuit. Regem ut parentem si bonus est, amare: si malus est, ex diuina voluntatis decreto ferre debemus. Quid si Religionem ipsam expugnet, ferro sæuiat rursus ad martyrium fideles vocet? quantumuis Hæretici* (Iesuitæ puta, omnesque aliter sentientes) *reclament, tamen si Euangelio acquiescere volumus, satius est fuso sanguine cœlestem victoriam reportare, quàm educto gladio Christianæ patientiæ famam lædere*, (& iterum cum Petro gladium accipere, nec velle, ut Christus iterum in membris suis calicem bibat, quem illi Pater dedit) *Quam quidem nostram sententiam im-*

Iesuitarum doctrinam istam Parisiensis Academia terribili sententia condemnat.

Idem fecit tota Ecclesia Gallicana.

Catholica fides de obedientia debita Regib.

Etiam iniustis.

Et fidei Catholica per secutoribus.

Heb 10 Patientia nobis necessaria est

tiam improbare nemo potest, nisi qui Christi præceptum simul & exemplum improbet: nisi Martyribus, cum rebellare possent, modestiæ gloriam eripiat, & crescenti Ecclesiæ ignauiam exprobrare velit, quod numero fortior, ferrum Imperatoribus, quo sæuiebant, non extorserit. Ea siquidem est non Christianorum, sed Hæreticorum contumacia, qui vel leuissimo metu Religionis (id est, cum primum suspicantur futurum, ut Rex Hæreticus vel excommunicatus liberum Catholicæ religionis exercitium nonnihil impediat) *ad arma concurrunt, leges calcant, jura violant, & à Deo ordinata potestati, quæ possunt vi resistunt* (omninoque suæ libertatis & utilitatis causa injuste agere, quam propter Christum imitandum & confitendū injuste pati malunt). *Christus autem jam tum natus, immo nascens, immo antequam nasceretur, ad Edictum Cæsaris aduolauit, neque denegauit obedientiam, cui jus imperandi tradiderat: sub eius Prætore quamuis innocens accusari non erubuit: judicium quantumuis iniquum patienter tulit: vim illatam, crucem oblatam, mortem denique non recusauit, quamuis in manu legiones Angelorum adessent: quamuis in sua morte videret in vitam omnium Christianorum sententiam ferri. Ecclesiæ priscos Annales reuoluite, parem in Apostolis, parem in Discipulis patientiam inuenietis, parem in Martyribus constantiam. Cum jam late propagata fides esset ubique, qua patebat orbis Romanus, Christiani in carnificina crudelitatis ferro, flamma, belluis fidem probabant atque patientiam: neq; inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam constituti prouocabant ad arma, quibus sumtis numero pares exstitissent, & virtute superiores: cum urbes, insulas, municipia, castra ipsa, Senatum, forum impleuissent, & omnes tam libenter ad cœlestem victoriam per supplicia properarent. Quare alias leges quàm à Christiana disciplina profectas quærant, qui satius esse putant rebellare, quàm pati. Vnde nouum jus* (Religionis prætextu rebellandi) *è cœlo defluxit, ut credant nobis licere, quod Apostolis & Martyribus non licuit?* (ut jam fas credatur, Regi baptizato suum in subiectos jus abrogare, quod Petro & Paulo aduersus Neronem non licuit?) *an in fide propagata jus erit, quod in nascente & jam adulta nefas fuit? Nusquam Christianus aliud est: unum Euangelium, & idem Iesus. Qui aliter sentiunt* (ut Gregorius II. Gregorius VII. Bonifacius VIII.) *fidem in factionem conuertunt, & ex aliena credulitate sibi* (non Christo) DOMINIVM (temporale) *& gloriam quærunt. Non autem minorē injuriam Deo faciunt, potestatem de Regibus judicandi quam ipse sibi soli reseruauit, ei præripientes, quàm Regibus ipsis soli Dei judicio subjacentibus. Magnam etiam injuriam faciunt Fidei, qui eam putant saluam esse non posse, nisi Regum jus pereat, & gentium jura subuertantur.*

Quamdiu autem hæc lex obligabit? *donec qui venturus est, veniet. Apoc 13 Hic est patientia & fides sanctorum.*

Hæreticorū est Religionis prætextu arma in Reges mouere.

Et malle injustè facere, quàm injustè pati.

Contempto exemplo Christi.

Et Apostolorum & Martyrum.

Christiani certè non sunt.

Cum à primigenia Ecclesiæ fide desciuerint.

Quod hominibus altum est affectantes.

Cū magna injuria Dei. Et Catholicæ fidei.

CA-

CAPVT LVI.

Ecclesia Gallicana sententia est conueniens sanctorum Patrum sententia.

ATque hæc est Ecclesiæ Gallicanæ & Parisiensium Theologorum ac Iuriisconsultorum de suprema nullique in terris obnoxia Regum auctoritate, deque temporali Pontificis potestate sententia, perspicuis sanctorum Chrysostomi, Augustini, Gregorij Magni, Bernardi, aliorumque Patrum verbis consentanea: quam nec Ecclesia Romana umquam damnauit, nec quisquam Pontificum ea quæ Pater in cœlis, non caro aut sanguis reuelasset, sapientium & loquentium. Quid hic Iesuitas nostros consilii cepisse putabimus, cum doctrinam suam isto Parisiensis Academiæ & vniuersi Cleri Gallicani decretorio stylo confossam, seque ad Hæreticorum gregem relegatos compererunt? Non modò fecerunt, quod est Chamæleontis, ut rerum sibi proximarum colores intuentibus reddant, sed etiam velut viris Sodomitis dignum erat, *peccatum suum prædicauerunt, nec absconderunt*, Isai. 3. Apertissime quippe tulerunt, Societatis ingenium nihil aliud esse quàm arundinem vento agitatam, ad omnemque gratiæ & offensæ humanæ auram mobile atque infidum esse, ita vt illa etiam, quæ falsa, impia, nefaria & pestifera esse cum animis suis statuunt, ea nihilominus ad colligendam aut retinendam hominum beneuolentiam, aut ad offensam potentium declinandam, voce ac stylo docere, ac tamquam fidei capita ad animarum salutem necessaria maximo ingeniorum certamine propugnare non dubitent. Vt enim legere est in capitibus siue *articulis interrogatoriis* Curiæ seu Parlamenti Parisiensis cum P. Cottoni Prouincialis Societatis aliorumque trium Iesuitarum responso, ad d XIV. Martij anni M DC XXVI. cum eis delecti Senatores exprobrassent, quod Societatis Patriarcha Vitellius Sanctarelli librum Romæ approbasset, responderunt illi, *se tantam eius imprudentiam magnopere reprehendere atq; ex summis viribus incusare*, etsi hoc uno culpam eius eleuare conabantur, *quod aliter facere non potuerit, nisi vt probaret, quod Curiæ Romanæ placeret.* Rogantibus deinde, idemne ipsum crederent, quod in Sanctarello Vitellius probasset. *Suam verò fidem ei ex toto contrariam esse* responderunt. *Sin autem Romæ essetis, quid faceretis? Idem nempe ipsum faceremus, quod qui ibi sunt, faciunt.* Quo audito quidam senatorum: *Aliam ergo*, inquit, *conscientiam Romæ habetis, aliam Lutetiæ. Deus nos ab eiusmodi Confessarijs custodiat.* Tandem cum collatis inter se capi-

Iesuitæ sunt chamæleontes.

Societas est arundo vento agitata.

Quæ falsa & perniciosa iudicat, aliis tanquam articulos fidei proponit credenda.

Societas Iesuitica aliã Romæ, aliã Lutetiæ fidẽ & conscientiam habet.

ſe capitibus aliquandiu conſultaſſent, profeſſi ſunt, *eandem ſuam & Sorbonici Collegij eſſe ſententiam, ſeque ijs, quæ Domini de Olero cenſuiſſent ſubſcripturos.* Biduo poſt tres articulos à Parlamento ipſis propoſitos ſubſcripſerunt, iſtos puta.

Pariſiis Curia Romana doctrinam condemnat.

1. *Rex ſtatum ſuum non niſi à Deo & gladio ſuo debet recognoſcere.*
2. *Rex ſolum Deum, mortalem vero neminem, in regno ſuo ſuperiorem agnoſcit.*
3. *Papa non poteſt nec Regem, nec Regnum eius ſupponere interdicto* (ſeu ſacris interdicere) *nec ſubditis relaxare ſacramentum fidelitatis ei debita propter quamcumque cauſam & occaſionem.*

Hoc amplius autem in ſubſcriptione ſua profeſſi ſunt, *ſe malitioſam & peſtiferam de Regum auctoritate Sanctarelli doctrinam deteſtari, ac paratos eſſe diuerſam ſententiam velut veram quacumque occaſione vel ſanguinis vitaque impenſa confirmare.* Quis autem tam vacui capitis aut obeſæ naris ſenatores illos eſſe credat, vt iſti eorum profeſſioni vel minimum fidei adiungere animum inducant: cum biduo ante tam nulla circuitione confitentes audiſſent, Patriarcham ſuum cum Romæ ſit, neceſſe habere quod Curiæ placeat probare, ſeque ſi ibidem eſſent, idem ipſum haud dubie facturos eſſe? Sed quicquid ſit de eo, quod credunt, iſtud quidem certe planiſſime hinc apparet, eos Pontifici minime fideles eſſe, ſed auctoritatem eius pro eo ac ſibi expedire recteque in rem Societatis conducere iudicant, alias ſuper Reges extollere alias vehementer imminuere & circumſcribere, vt ei nec Anathematis & Interdicti ius in Reges concedant. Adeo verum eſt, quod ſi id de ſe prædicare ſolent; *Ieſuita eſt omnis homo*: non quo modo de ſe Apoſtolus gloriatur, *Omnia omnibus factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*: cũ ipſis hoc potius ſit propoſitum, vt omnes faciant fatuos. qualem eſſe oportet, qui cum duplicitatis ac fraudulentiæ eorum tot videat opera ac teſtimonia, præcipue vero ipſam eorum confeſſionem, adhuc tamen vel minime rei fidem habere illis audeat. Longe certe fieret ab eo ſapientius, qui vel compertiſſimam veritatem ex ore Ieſuitico profectam de mendacio ſuſpectum habere inciperet: cum ſicut ipſis gloriantibus *Ieſuita eſt omnis homo*, ſimilitur teſtante Dei ſpiritu *Omnis homo ſit mendax*: quo exemplo ſenex ille Comicus de ſeruo, quem mendacii manifeſtum prehenderat, facturum ſe autumat.

Vt malitioſam & peſtiferam.

Ieſuitarum incõſtantia in fide erga Pontificem.

Ieſuita eſt omnis homo.

Sed omnis homo mendax.

Si illum ſolem mihi ſolem eſſe dixerit,
Ego Lunam credam eſſe, & Noctem, qui nunc eſt Dies.

CAPVT LVII.

Quinctum documentū Infidelitatis Iesuitarum erga Pontificem.

Ecclesiæ Romanæ doctrinam Catholicam multipliciter oppugnant.

Id liquet ex sedis Apostolicæ censura.

Et ex Roalis Actione in Iesuitas.

QVintum Infidelitatis eorum erga Pontificem & sedem Apostolicam documentum est, non iam aliqua Curiæ Deuterosis aut humana traditio, sed Ecclesiæ Romanæ doctrina ab omnibus Catholicis omni tempore & loco credita, cum sermonibus & libris, tum etiam factis multipliciter oppugnata, vt iam non magis Iesuitis & eorum in Hispania asseclis ac subscriptoribus, quam Germaniæ Protestantibus, Galliæ Hugonotis, aut Angliæ Puritanis, sacrosancta sit sedis Apostolicæ & successoris Petri auctoritas. Qua de re qui explorato quod verum est studet cognoscere, legat *sedis Apostolicæ Censuram* aduersus omnes Iohannis Baptistæ Pozæ libros, qua manu, qua formis æneis descriptos: inspiciat etiam *Hæreseos Actionem*, quam summa vir innocentia & singulari diuinarum humanarumque literarum sciētia præditus Franciscus Roales non vni modò Pozæ, sed vniuersæ etiam Societati non iam Iesu, sed Iudæ palam in totius orbis conspectu intentauit, cuius etiam prosequendæ causa Romæ ad S. Inquisitionis Tribunal se stitit *cum obligatione ad talionem*. supplicium nempe in Hæreticos Constitutum capite persoluturus, nisi rebus maxime necessariis vincat planumque faciat, Iesuitas esse Hæreticos, quouis Ariano, Lutherano, Anabaptista aut Caluiniano deteriores & pestilentiores. Vt autem de illorum erga Pontificem infidelitate quod dixi fiat manifestius, subtexam hic rerum capita, quæ in illa Roalis denunciatione diligentiorem Lectoris animaduersionem mereri videntur. Tamquam.

Eius accusationis capita notabilia.

1. Poza libris editis iactat, se in Petra stare, nec à Pontifice in ius vocari aut cohiberi posse.

2. Sedis Apostolicæ & Generalium Conciliorum iudicia in doctrinis & personis damnandis nulla & praua interdum fuisse, & fore.

3. Liberum esse præter & CONTRA sanctorum Patrum & Doctorum sententiam in Religionis doctrina innouare.

4. Poza pestiferas suas doctrinas lingua vulgari publicè docet, ac furtiuis typis euulgat.

5. Plures in Hispania Principes, Episcopi, Prælati, Doctores, fæminæ & simpliciores Diabolicis Pozæ artibus in Hæresin sunt inducti.

6. Societas Pozam fauore, plausu & auctoritate sua commendauit,

& fore

& foro conscientiæ, sacris pulpitis & publicis cathedris præfecit, vt tanto facilius Hæreses & nouitates suas plurimis persuaderet.

7. Multi in Hispania falsa Pozæ scripta, & sacræ doctrinæ corruptelas incaute approbarunt & temere subscripserunt: & supremi Aulæ Magnates ei patrocinantur.

8. Omnia Pozæ scripta, & reliquorum Iesuitarum defensiones, approbationes, commendationes & plausus ad fidei Catholicæ destructionem tendunt; viamque ad omnem Hæresin, immo ad Atheismum in Hispaniam aperiunt.

9. Roales obseruato caritatis ordine superiores & amicos Pozæ priuatim primo admonuit.

10. Deinde ipsum Pozam cum septem Sociis ad disputationem vocatum coram pluribus Hispaniæ Magnatibus de multiplici crimine falsi, & Læsæ Maiestatis ac fidei publicæ ex libris eius coarguit & conuicit.

11. Istud Roalis officium sine fructu fuit ob Pozæ & Sociorum superbiam, fraudes, modosque agendi Diabolicos.

12. Roales Inquisitores, Nuncios Pontificis, Aulæ proceres, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Doctores, Magistros, omnes denique publice & priuatim monuit, vt cauerent à fermento Hæreticorum Iesuitarum, atque à falsis Doctoribus attenderent.

13. Roales perfecit, ne Poza à Tribunali Inquisitionis pro Qualificatore aut Censore admitteretur.

14. Inquisitio Hispanica Romanæ Inquisitionis censuram aduersus Pozam noluit ratam habere, sed cum graui scandalo & periculo Edicti Romani exsecutionem protraxit.

15. Iesuitæ quotidie insolentiores nec Papæ, nec Cardinalibus parcunt, sed eos accusant vt calumniatores, mendaces, Hæreticos, manifestos falsarios & fidei Apostolicæ sedi debitæ proditores.

16. Poza Hæreticorum dogmata in Conciliis allegata dolo malo citat & obtrudit tamquam essent dogmata Conciliorum.

17. Idem Conciliorum doctrinam pro Hæreticorũ erroribus dãnat.

18. Idem innumera Conciliorum, Patrum & Doctorum, immò etiam sacræ scripturæ loca & sensa impudentissimè corrumpit, falsat, hæreticè intorquet.

19. Idem aliter quam Ecclesia docet, aliter scientiarum instrumenta disponit, ordinem vniuersæ scholæ confundit, totius Theologiæ locos demolitur, omnem in ea auctoritatem eleuat, & Apostolicam sedem contemnit.

 20. Idem

20. Idem viros doctos in reprobum ſenſum traxit, faſcinauit & decepit, vt prauæ eius doctrinæ ſubſcriberent.

21. Poza ſub ſaluo conductu & impunitate oblata Romam vocatus renuit comparare.

22. Pozæ damnatio vniuerſam tangit Societatem : quoniam illa contemſit legitimam eius condemnationem in Curia Romana, & Academiarum ac Religioſorum Ordinum clamores: & Pozam poſt doctrinam eius Romæ condemnatam in primaria Theologiæ cathedra Madriti collocauit, & Aulæ Hiſpanicæ frequenter, priuatim & publice, certatim commendauit & fouit.

23. Doctores & Patres Societatis ſuis impenſis curarunt diſſeminanda Poza dogmata Romæ damnata, & librorum exemplaria gratis diſtribuerunt.

24. Ipſa Societas quædam publicauit ſub nomine totius Societatis & in cauſa & pro cauſa ſocietatis, ita vt Societas Pozæ cauſam pro cauſa totius Societatis habeat.

25. Ieſuitæ meruerunt, vt publice cogantur Hæreſin abiurare vtque à munere in Scholis docendi penitus amoueantur.

26. Ieſuitæ ſcholis totius orbis per fas & nefas inhiant, vt eas euertant, & iuuentutem ac reliquas ætates & ſtatus peſtifera ſua doctrina inficiant.

CAPVT LVIII.

In Hiſpania hoc tempore vigent Hæreſes Romæ condemnatæ.

EX iſtis omnibus liquere iam arbitror, quis hoc tempore ſit Hiſpaniæ ſtatus. Nimirum Principes, Epiſcopi, Prælati, Doctores, Magiſtri, vt innumerabiles alii taceantur, Diabolicis Ieſuitarum artibus faſcinati, decepti & in reprobum ſenſum tracti ſunt, vt prauam Pozæ doctrinam probent, interque fidei capita habeant, liberum eſſe contra Generalium Conciliorum & S.S. Patrum ac doctorum ſententiam nouas in Religione doctrinas comminiſci ac ſequi, nec Pontificem id prohibere ius eſſe: nullam in Cenſura ſedis Apoſtolicæ & Conciliorum Generalium aduerſus perſonas ac doctrinas eſſe certitudinem: Cenſores Romanos Pozæ condemnatores eſſe Hæreticos, & fidei quam Apoſtolicæ ſedi debent proditores. Quis ergo iam nō agnoſcat, Hiſpaniā non minus nunc peſtifero Hæreſis veneno, quam Germaniam, eſſe imbutam, eiuſque conditionem hoc ipſo multo miſerabiliorem, quod in Germa-

Miſerabilior Hiſpania, quam Germaniæ conditio.

Germania nulli sint Episcopi, nulli Antistites aut magni Doctores, qui sedis Apostolicæ & Pontificis iudicium, censuram & auctoritatem vsque eo contemnant. Itaque pro explorato haberi debet, propediẽ aut omnem Hispaniam fore hæreticam & ab Ecclesiæ Romanæ communiene separatam, aut exoritura in ea funestissima dissidia & ciuilium bellorum incendia, quod in varietate sententiarum de Religione nequaquam euitari posse, omnium sæculorum & populorum compluriũ exempla comprobant. Itaque vere iam Hispania Ignatium suum ab Igne nomen traxisse agnoscet, qui venerit Ignem mittere in terram, & Troianum patriæ conflare incendium, vt Hispaniæ eueniat, quod Tyro Deus interminatur Ezech. 28. *Producam Ignem de medio tui, qui comedat te.* Certè quod supra Forerum Iesuitam in Germania fecisse demonstraui, non minus Poza in Hispaniis opera sua perfectum iri portendit, vt etiam in ipso locũ inueniat illud Salomonis: *Vir Belial fodit malum, & in labiis eius Ignis ardescit. Homo peruersus suscitat lites, & verbosus separat Principes* Itaque mittetur sanguis inuidiæ, nec iam Gallia habebit, cur Hispaniã accuset, quod Ignigenos istos Vulcani irati filios ipsi immiserit, quorum doctrina de Regibus excommunicatis (quod Pontificis nutu abs quiuis de populo occidi possint) complurium sicariorum manus armauit, & duos Francorum Reges nefario paricidio sustulit. Longe enim atrocior est tot animarum cædes, quam in Hispania nupero ac nouitio Pozæ dogmate, & cum maxime nunc faciunt: cui etiam Hispaniæ nisi maturo ad meliorem mentem receptu prouidet, haud leue imminet periculum, ne magno suo malo experiatur, quid illud argumẽti habeat, quod de populo Israelitico propheta prædicat Ose. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. quia nunc dicent, Non est Rex nobis, non enim timemus Dominum* (cuius Vicarium contemnimus) *& Rex quid faciet nobis?* Hoc vero specimen esto Fidei, quam erga Pontificem præ cæteris Religiosorum Ordinibus Societas profitetur. Postquam scilicet spes sua ipsis refrixit, nec Societati Pontificem obsecundare, & in affligenda D. Thomæ auctoritate ad diuina cuiusdam omninoque falli nesciæ doctrinæ opinionem atque famam suffragari velle apparuit, alienæ personæ ferẽdæ finem fecerunt, & Cornua sua, siue gratiam, qua in Regia Hispanica plurimum se pollere nouerant, in ipsum Pontificem & conscriptos Sacri Collegii Patres palam obuertere ausi sunt. Itaque illi sero iam sentiunt, se in sinu Serpentem tanto tempore fouisse, magnoque cum dolore & animi fluctuatione experiuntur, quam non de nihilo dia Salomonis sententia monuerit: *Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Sin autem (quod non pauci censent) ex ipsorum

Hispaniæ imminent bella ciuilia.

Iesuitæ veri Hispaniæ & Germaniæ Incendiarii.

Iesuitæ causa paricidij duorum Galliæ Regum.

Multo tamẽ maiorem in Hispania cædem fecerunt.

Cur Iesuitæ fidem erga Papam deseruerint.

Pontifices societatem velut serpentem in sinu fouerũt.

quoqueparte. subinde occasio datur Deo veterem suam iterandi querelam: *Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreuerunt me*: nempe idē sibi alios facere, nouum magis, quam iniquum videri eis par est, cum iustitiæ diuinæ regula sit. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sapient. II. Cuius exemplum in Rege Sedechia scriptura suppeditat, qui Deo & seruo eius Nabuchodonosori rebellans, spreto quo ipsi se deuinxerat, fidelitatis sacramento (Ezech. 17.) eo ipso idem sibi facere, seque ludibrio habere seruos suos docuit, Ierem 38. quo illi nomine Deum sic insultari iubet: *Vbi est grex tuus, qui datus est tibi, pecus inclitum tuum? Quid dices, cum visitaberis?* (& per quæ peccasti, per hæc & torqueberis?) *Tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuum. Numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?* Ierem. 13.

Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.

SEDIS APOSTOLICÆ CENSVRA

I.

Aduersus nouam, falsam, impiam & Hæreticam Societatis Iesu doctrinam nuper in Hispania publicatam.

II.

Aduersus nouam & Pestiferam sectam mulierum Iesuitissarum, Friburgi Heluetiorum à Iesuitis nuper introductam.

Cui accessit

ACTIO HÆRESIS IN SOCIETATEM IESU ad summi Pontificis & Sacræ Inquisitionis Tribunal.

EDITÆ

ROMAE EX TYPOGRAPHIA REV. CAMERAE Apostolicæ anno 1631. & 1632. Mediolani ex Typographia Collegii Ambrosiani 1633.

ANNO M. DC. XXXVI.

DOMINVS GRAVINA ORDInis Prædicatorum S. Theologiæ Professor in Cathedra S. Thomæ Aquinatis Neapoli, in in libro aduersus Paulum Laimannum & Iacobum Kellerum, aliosque Iesuitas, qui inscribitur, Congeminata vox Turturis, editusque est Neapoli anno 1633. Cap. 16. pag. 435.

Quid non effutiuit Iohannes Baptista Poza, à quo vt de Puteo abyssi Sycophantiarum fumus exhalauit, & inter cætera Paradoxa, acri censura digna digneque censurata solem Ecclesiæ S. Thomam obscurare conatus est, hanc profundam abyssum impetendo tam in libello supplice ad Iudices veritatis directo, quam in Elucidario, quam in Apologiis: vt merito anno 1628. suspensus sit in Indice à Censoribus Romanis, cumque nec velle subiici Censura superiorum contentione horribili, & contentiosa auersione, multis in eosdem schismatico stylo idem Poza editis responsionibus Apologeticis reclamasset, nunc iterum cum omnibus operibus suis suspensus est in hanc formam, quæ sequitur:

DECRETVM

Sacræ Congregationis Eminentissimorum & Reuerendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium à sanctiss. D. N. Vrbano Papa Octauo sanctaq; sede Apostolica ad Indicem librorum, eorundemq; permissionem, prohibitionem, expurgationem & impressionem in Vniuersa Republica Christiana specialiter deputatorum vbiq; publicandam.

Sacra Indicis Congregatio Eminentiss. & Reuerendissimorum D. D. S. R. E Cardinalium infra scriptos libros damnat & prohibet, mandans omnibus & singulis cuiuscumque gradus & conditionis sub pænis in

nis in Indice librorum prohibitorum contenſis, ne vllus in poſterum eos imprimere, legere aut quouis modo apud ſe retinere audeat, & ſi quis aliquos illorum habuerit, vt ſtatim omnes à præſentis Decreti notitia locorum Ordinariis aut Inquiſitoribus conſignet.

Libri autem ſunt.

Johannis Baptiſtæ Pozæ Societatis Jeſu Cantabri Opera omnia.

Libellus Anonymus inſcriptus: *Memorial à los Iuezes de la Verdad y Doctrina.*

Libellus Anonymus inſcriptus: *Libellus quidam ſupplex, cui titulus, Ad Iudices Veritatis & doctrinæ, defenditur.*

Liber inſcriptus: *Sanctiſſimo Domino D. N. Vrbano Papæ Octauo, natio & cognatio Cantabrica Iohannis Baptiſtæ Pozæ è Societate Ieſu, in cauſa iudiciali Tomi primi Elucidarij, cuius initium eſt: Beatiſſime Pater, Cantabricum Dominium & Cognatio Iohannis Baptiſtæ Pozæ è Societate Ieſu, ad pedes Sanctitatis Veſtræ abiecta partes iudicialis defenſionis Tomi primi Elucidarij vltro ſuſcipiunt.*

Liber inſcriptus: *Sanctiſſimo Domino D. N. Vrbano Papæ Octauo. Cognatio Cantabrica Iohannis Baptiſtæ Pozæ è Societate Ieſu in cauſa iudiciali Tomi primi Elucidarij, cuius initium eſt, Beatiſſime Pater. Doctor D. Iohannes de Vribe & Yarza nomine cognationis Cantabricæ Iohannis Baptiſtæ Pozæ è Societate Ieſu ad pedes Veſtræ Sanctitatis abiectus partes iudicialis defenſionis Tomi primi Elucidarij vltro ſuſcipit.*

Libellus ſine titulo, cuius initium: *Sennor El Doctor Don Juan de Uribe y Yarza en ſu nombre, y en el de los parientes y deudos del Padre Juan Baptiſta Poza de la Compannia de Ieſus.*

Et quicumq; alij tractatus, Apologiæ, Informationes, Libelli ſupplices, vel quouis alio nomine expreſſi pro defenſione Elucidarij Deiparæ, ſiue doctrinæ præfati Johanni Baptiſtæ Poza, tam prælo mandati, quam manuſcripti.

In quorum fidem manu & ſigillo Eminentiſſimi & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Pij, Sacræ Congregationis Præfecti præſens Decretum ſignatum & munitum fuit Romæ die 9. Septembr. Anno 1632.

C. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Pius.

Locus Q Sigilli.

Fr. Io. B. Marinus Ord. Præd. Mag. & S. C. Secr.

R Die 28.

Die 28. mensis Septembris Anno 1632. supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ aliis locis solitis & consuetis Vrbis per me Andream Scalmanum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Augustinus de Bolis pro Mag. Cursor.

ROMÆ ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ M. DC. XXXII.

ACTIO

ACTIO HÆRESIS

In Societatem Jesu.

EPIPHANEIA ET PLEROPHORIA MAGISTRI FRANCISCI ROALES,

Hoc est,

Manifestatio & satisfactio in luce totius Ecclesiæ sanctæ Dei, & vniuersæ Reipublicæ, pro asserta iustitia Edictorum & sententiæ sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium in Censura librorum, qua Johan. Baptistæ Pozæ è Societate Jesu Opera omnia, & qualibet in fauorem eius scripta damnantur.

Sanctissime Pater, Imperator, Reges, Principes, &c.

SI quando Hæreses, vt probati manifesti fiant oportuit esse: maxime eas esse nunc temporis, oportuit, multorum caritate refrigescente, qui nuper ad sua desideria coaceruant sibi Magistros, Perfectionis studium, sanctorum Patrum doctrinas euertunt, à veritate auertunt animos, ad fabulas & sæculi sapientiam conuertuntur: & quò voti compotes fiant, Ecclesiam Romanam, veritatis magistram, parum curant, sanam doctrinam non sustinent,

nent, omnia interius exteriusque interturbare, & sacra profanis commiscere non desinunt. Exiuit iam diu ex his, imo inter hos diuina prouidentia permittente adhuc est, omnium sanctæ Ecclesiæ Dei aduersantium pessimus quidam Poza: qui cum pietatis constitutus sit publicus in Christi republica antecessor, factus est omnium errorum præuius, condus promusque, notorius hæreticorum sectator dogmatista: dum opponit sanctissimo Pontifici Romano, scripta sua merito iureque damnata vno Deo niti: dum iactat, doctrinas ab Ecclesia sanctissime prohibitas impie aduersus Spiritum sanctum defensans, se in petra stare, petramq; in qua stat, licet insaniat mare, non posse commoueri: denegat Ecclesiæ & eius capiti potestatem ipsum in ius vocandi aut cohibendi: affirmat sedis Apostolicæ & sacrorum Conciliorum generalium iudicia in doctrinis & personis damnandis post omnem disquisitionem iuxta formam iuris factam (quod vltimi iudicij est in Ecclesia, cui Spiritus sanctus assistit) nulla & praua quandoque fore, fuisseque de facto: docet liberum sibi futurum præter Doctorum & Sanctorum Patrum sententiam, imò & contra, in Religionis & pietatis doctrina innouare, & alia plura enormia horrendaque dictu, in quibus Illuminatos, Tertullianistas, Libertinos, Protestantes & alios omnes Hæresiarchas, imitari aut superare videtur. Nec proprio contentus lapsu errores suos in dies dilatare exanimi deliberatione, summo studio & solicitudine curat improba, non solum munus Magistri publici obiens Laicos Nobiles, & promiscuæ plebis viros simplices, aliosque teneræ ætatis auditores pestiferas suas doctrinas lingua vulgari publice edocens, verum etiam contra ciuiles & Ecclesiasticas sanctiones, in perniciem totius Reipublicæ Catholicæ in lucem editas typis dolosis & furtiuis, Auctore, Typographo & Officina suppressis vel fictitiis euulgans, sacræ paginæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum & Doctorum Scholasticorum deprauationibus, sophismatis, paralogismis, mendaciisq; impudentissimis refertas, compositus arte Diabolica ad fallendum. Nec fefellit mendaciorum & Hæreseon patrem successus. Plures sunt, proh dolor! in Hispania (vt de fœminis aliisque simplicioribus taceam) viri Principes, Episcopi, Prælati, Doctores, morum probitate, doctrina ac religione præstantes, quibus Pseudocatholicus hic dogmatista voce, scripto, concionibus, prælectionibus, libris, occasionem præbuit ruinæ; dum fauore, plausu & auctoritate suæ Societatis laudatur, commendatur, foro conscientiæ, sacris pulpitis & publicis cathedris præficitur: plures, qui falsis eius scriptis & sacræ doctrinæ corruptelis, pietati fictæ & subdolæ fidem adhibentes, incaute

appro-

approbarunt, temere subscripserunt. Et quoniam animus à malitia liber non percipit malitiam, Magnates etiam Aulæ supremi patrocinati sunt candore & innocentia.

Propterea ego Franciscus Roales Presbyter Theologus Hispanus, Magister Salmaticensis, parentibus Petro Roales & Maria Munnioz è vetusta Castellanorum gente in opido Valdemoro Toletanæ Diœcesis quadraginta quatuor annos abhinc natus, olim in Regio S. Laurentij prope Scorialem Collegio à sanctissimis Hieronymianæ familiæ Eremitis pietatis, artium liberalium & Theologiæ studiis, auspiciis iussuque Philippi Tertij Regis Catholici educatus, apud Salmaticenses deinceps in S. Mariæ Magdalenæ Collega Theologus Academiæ Deputatus, & publicus Mathematum Professor, adaucto ob linguarum & aliarum rerum qualemqualem peritiam honorario à Rege & supremo Senatu stipendio, tandem Principi Emanueli Filiberto & Regi Catholico Philippo IV. inter Sacerdotes honorarios à sacris, Serenissimo Hispaniarum Infanti Ferdinando à studiis literariis: cum matura inspectione facta certo scirem omnia scripta & doctrinas dicti Pozæ, suorumque defensiones, approbationes, commendationes & plausus in destructionem potius, quam in ædificationem fidelium & fidei Catholicæ tendere, viamque ad omnem Hæresin, imò ad Atheismum in Hispaniam aperire: memor officij mei erga Regem Catholicum, cui debeo quicquid sum, erga amicũ Regis, cui ob maxima in me collata beneficia obstrictus sum, erga patriam, erga Religionem & Rempubl. pro quibus natus sum mortem oppetere: nec oblitus debitæ correctionis & caritatis erga PATRES (sic enim audire volunt) admonui primùm Prælatos, Præpositos & amicos dicti Pozæ priuatim, ipsumque Pozam postea coram aliis selectis septem viris domesticis & Collegis suis ad colloquium & disputationem inter me & illum ab ipsorum Societate specialiter deputatis, in conspectu Megistanum Hispaniæ, Ducis Lermensis, Ducis de Ixar, Comitis Salinarum, Comitis Saldaniæ, & multorum aliorum Nobilium virorum, qui vocati præsentes adfuere, ipsum inquam personaliter constitutum, suosque coargui palàm de multiplici crimine falsi, & scandalo commisso scienter & cum dolo in scriptis ab ipsomet libellis, à suis approbatis atque editis, nomineque TOTIVS SOCIETATIS euulgatis, prauo exemplo læsæ Maiestatis, & fidei publicæ, quæ læsa in Societatem clamat adhuc. Id cum ob Pozæ & suorum superbiam, fraudes, modosq; agendi Diabolicos non satis esset: Principibus ministris Aulæ & Curiæ regiæ suggessi, vt maturè Pozæ & SOCIIS eius obuiam irent, ne Regi Catho-

lico, amicis Regis, & toti Reipub. imponerent, primates candidiores & optimos quosq; occulte quam blandissime seducentes, sub doctrinæ & Religionis prætextu religionem & doctrinam possumdantes. Et in hac suggestione, vt in aliis, eos quibus facta est, satis graues & honestos testes habeo.

Tandem per viam denunciationis clam, & per publicam demum Accusationem ad Tribunal sanctissimæ Inquisitionis Hispaniarum palam institi, Legatis Apostolicæ Sedis apud Catholicum, Præsidi supremi Senatus Castellæ, Academiis, Eminentissimis Cardinalibus in Hispania, Episcopis, Religiosorum Ordinum præpositis, Doctoribus & Magistris, vbicumq; & quoscumque alloqui datum est, innotescere faciens, quale & quantum periculum ac pernicies ex Pozæ suorumque doctrina, audacia, nouitate, falsitate, Ecclesiæ Catholicæ imminebat. Nec interim subterfugi priuatim & publice semper & vbiq; quo minus annunciarem omnibus in Aula, in plateis, in compitis (vt sæpe de hoc me petit Poza in Apologiis, suiq; gratissimo mihi crimine accusant) cauerent à fermento hæreticorum, attenderent falsis Doctoribus: idque oportune, importune in omni patientia feci in spe fore, vt sanctissimi Tribunalis Iudiciis Hispani in tempore medicinam adhiberent. Et sane illud obtinui, propter quod accusationem præcipue institueram, scilicet ne Poza designatus sanctissimæ Inquisitionis Qualificator aut Censor in dehonestamentū illius sacrosancti Tribunalis & Sedis Apostolicæ irreuerentiam hoc munus exerceret. Cautum id. Quod ad reliquum, ab actione non destiti, prosequi ad tempus distuli, expectans si forte Poza & sui resipiscerent, scirentve confusi erubescere, satisq; fore existimās semel atq; iterum pro causa totius orbis scripta sua suorumq; fautorum defensoria praua & impia Romæ fuisse damnata per sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium edicta; vt in Hispania ad regulam illam primam & supremam Curiæ & Sedis Apostolicæ rata haberetur aut fieret eorundem scriptorum prohibitio. Sed cum videam in dies non sine graui scandalo & periculo protrahi Edictorum exsecutionem in Hispania, & Pozam suosque insolentiores in peius quotidie ruere, tum ingeminatis vulgatisque magno numero publicis Apologiis & libellis famosis Latina & vulgari lingua clam editis Censores & accusatores Romanos & Hispanos ad Fidei & librorum expurgandorum Tribunalia ab his in ius vocari, calumniatores, mendaces, manifestos falsarios, imò hæreticos & proditores fidei, quæ Sedi Apostolicæ debetur, compellari: insuper negligentiæ, supinæ ignorantiæ, conniuentiæ, venalitatis, malignitatis Diabolicæ & læsæ

Maiesta-

Maiestatis crimine viros doctos Hispanos & Italos reos fieri, nec S. Inquisitionis ministris, Eminentissimis Cardinalibus, vel Sanctissimis Summis Pontificibus, omni humano diuinoque iure susque deque habito parcere: Ideo ego dictus Magister non quod magis idoneus, sed quod alij grauioribus occupentur, aut illis respondere tanti non faciant: neque ex eo, quod ad Pozæ & fautorum eius damnationem asserta iustitia Sacræ Congregationis, Judices, Censoresve doctrinæ his opus habeant, quod esset Solem facibus iuuare, sed (quoniam non omnium est scientia) ne simpliciores minusve cautum per inanem Philosophiam decipiantur: tum etiam quod necessitas mihi incumbit, & prosequor iniuriam publicam propriamque. Is enim sum, quem potissimum sui & suorum aduersarium, & ab initio accusatorem agnoscit, & quem in primis læsum vult, & in ius per fas & nefas tacitè & simulate vocat Poza suique (quod mihi gloriosum est ab his, de his, ad hos & inter hos) ideo inquam ex plena animi deliberatione, propria electione, & conscientia non errante ad id cogente, in obsequium sanctæ Sedis Apostolicæ, hoc est, in obsequium Regis Catholici, ad maiorem gloriam Dei & sanctissimæ immaculatæ Virginis Deiparæ, pro asserta iustitia Ecclesiæ Romanæ in censura librorum, pro doctrina fidei & eius sacrosanctis Tribunalibus, pro patria, pro Academiis Hispanis, & præcipue pro Principatu Cantabriæ, quorum omnium publicam læsionem simul, & iniuriam meam vindico, coram Vestra sanctitate & coram Eminentissimis Cardinalibus Sedis Apostolicæ Rom. Iudicibus delegatis in luce totius Ecclesiæ Catholicæ & Reipub. Christianæ animo, & hoc publico ad omnes fideles scripto compareo, paratus & corpore comparere quotiescumq; legitime iubebor, & Pozam eiusq; fautores de praua, falsa & hæretica doctrina coram, palam & incontinenti conuincere, atq; omnia quæcumq; à me scripta seu dicta sunt, vera probare præsto sum. Nec recuso aut vmquam recusaui, imo stare volo profiteor ad Tribunal, quo me Poza & sui aduocant, coram ipsismet Iudicibus, qui in cognitionem huius causæ de Poza & scriptis suis præuenerunt, rationem mei redditurus, pro fide responsurus, veritatem defensurus.

Item coram Deo & hominibus notum facio testorq; omnibus & singulis hanc publicam manifestationem & satisfactionem ad publicas itidem Pozæ & suorum damnatas Apologias inspecturis, per me non stare, quominus fiat in iudicio, aut extra, coram Iudicibus, aut aliis viris doctis, reorum & actoris secretus aut publicus congressus & confrontatio: quam sæpe ob victam & hæreticam Pozæ & suorum expostulationem & prouocationem ad sui maiorem confusionem postula-

tui, quando eum quoad ſcripta detuli ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores ſupremos in Hiſpania, & iterum illam denuo, ſi expediat liceatve mihi per eos, quorum intereſt, poſtulo accuſans Pozam in præſentia quoad ſcripta, & quoad perſonam, tamquam nouatorem, falſarium, hæreticum notorium, dogmatizãtemq; Hæreſiarcham: qui hæreticorum allegata ſcripta ſenſaq; formaliter hæretica pro doctrina à Spiritu ſancto ſacris Conciliis dictata ſuppoſuerit, docuerit & ſcripſerit, ſcienter ex ſtudio, & ex animi propoſito ante & poſt accuſationem, cum eadem etiam poſt legitimam damnationem & inexcuſabilem notitiam ſæpe iterum repetens & ingeminans longe deterius defenſauerit: & è contrario ſacrorum Conciliorum doctrinam, tamquam hæreticorum errore, turpiſſimè damnauerit: innumera Conciliorum, ſanctorum Patrum, Doctorum Scholaſticorum, imò & ſacræ paginæ loca & ſenſa impudentiſſime corruperit, falſauerit, intorſerit hæreticè, vt noua principia præter & aduerſus totius Eccleſiæ Catholicæ mentem introduceret, & contra expreſſam, communem, ab omnibusq; receptam Doctorum & Patrum ſententiam nouas doctrinas, de quarum ſingularitate gloriatur, inueheret. Qui vt aliter ſcientiarum inſtrumenta diſponere, ordinem vniuerſæ Scholæ confundere, totius Theologiæ locos demoliri, omnem in ea auctoritatem eleuare conatus, Apoſtolicam Sedem contempſerit, Chriſtum Dominum eiusq; ab omni labe puriſſimam & immaculatam matrẽ Virginem inhonorauerit, apparatum ad cunctas hæreſes inſtruxerit, viam ad Atheiſmum aperuerit, Regem & Principes ſeducere tentauerit, viros doctos, vt iactat, in reprobum ſenſum traxerit, faſcinauerit, deceperit, vt prauæ ſubſcripſerint doctrinæ, exemplo peſſimo: quæ omnia licet per ſe ex ſcriptis & geſtis Pozæ, & fautorum ſint notiſſima, iudicialiter tamen per probationes luce meridiana clariores, facti euidentia nota faciam, in lucem Eccleſiæ ea exponens, reorum voto & inſtantia, qui cogendos ad id eſſe accuſatores ingeminant: vt qui voluerunt corrigi ſecreto, corripiantur cum opprobriis.

Nec Diſputationem renuo, quamuis ſuperflua videatur in re iudicata, & in iis, quæ expoſitione aut propoſitione tantum indigent, qualia ſunt quæ hîc deferuntur: tamen poſtulat & hanc hæreticorum more Poza; in vſuque aliquando Eccleſiæ fuiſſe ex abundanti contra peruicaces, vt in ſimili nunc, non eo inficias. Ergo vt iſtorum infringatur audacia, & ora obſtruantur impiorum, diſputationi præſto ſum. Sed quia Poza dum ſuos accuſatores & Cenſores Hiſpanos ac Romanos crimine falſi & proditionis fidei, quæ Sedi Apoſtolicæ debetur,

reos

reos facit, in primis me accusat & aduocat Romam, conuiciatus de more scriptis publicis libellis famosis typis editis: præuaricatur tamen & renuit vel sub saluo conductu & impunitate oblata (vt fatetur) vocatus comparere & stare prouocationi per ipsum, & qui ab ipso sunt, euulgatæ: licebit ei per me ex supererogatione & indulgentia (quod est contra omne ius & fas) per Procuratorem audiri, nec enim absentiam curo, vbi culpa præsens est: atque vt Procuratori locus sit, & quilibet ex Pozæ fauoribus Sociisue experiri mecum possint, quoniam illius membri putridi contagia, damnatio & accusatio ex reorum allegatione & ipsa rei veritate VNIVERSAM TANGVNT SOCIETATEM: defero & aduoco in ius ex quouis ordine & statu quoslibet huius causæ fautores, defensores & patronos, præcipue Præpositos, doctores & Censores ex ipsius Societate, omnes illos, qui scripta & praua manifeste Pozæ dogmata approbarunt subscriptione directè, indirectè commendatione, silentio, conniuentia: cum de crimine Falsi læsæ Maiestatis & fidei teneantur: maxime quatenus post scriptorum legitimam, sanctissimamque in Curia Romana damnationem, post publicam famam & rumores de Pozæ Hæresi, insolentia, nouitate, singularitate & falsitate doctrinæ de Conciliorum, sanctorum Patrum, Scholasticorum & totius Ecclesiæ contemtu: post tot clamores publicos Academiarum Salmanticensis & Complutensis, Religiosorum Ordinũ, concionatorum ex sacris pulpitis, Magistrorum ex Cathedris publicis, accusatorũ & doctorum virorum in Hispania & Italia voce ac scripto: post multa etiam typis edita Catholicorum volumina in Pozam, tamquam in Puteum abyssi, Hæreticum, Hæreticorum discipulum, Ministrum Diaboli, successorem Lutheri (his enim coloribus per pios & Catholicos viros describitur) qui contra articulos fidei doceat, sacræ doctrinæ sensa deprauet, corrumpat: post hæc inquam, omnibus his non obstantibus, & penitus à Pozæ Societate ita contemtis, vt excusationem non habeant, magno scandalo, & in totius Christianæ Reipub. damnum, Regi Catholico & eius Ministro primati virum adeo suspectæ & omnino deprauatæ doctrinæ ad publicas prælectiones in Collegii Imperialis scholis Regiis, tum in cathedra Nouatoria palam & suspecta de placitis Philosophorum antecessorem, tum in sacra pagina primarium Doctorem proposuerunt, vel probarunt, veluti Hispaniarum iuuentuti edocendæ maxime idoneum, Principibus, senatui & vniuersæ Regiæ Curiæ frequenter, priuatim & publice certatim commendarunt, fouerunt, applauserunt: cum ex consueta suorum, quam iactant, circumspectione & probatione continua, ex fama publica, rumore, clamore, & omni-

& omnibus non sine dolore memoratis supra dictis perspectum habere debuissent, hunc hominem, eaque in quibus peccat, manifeste publica facta sint & notissima notorietate iuris factique.

Nec solum approbata & laudata sunt à Societate & eius Theologis damnanda damnataque huius pseudocatholici Doctoris sui scripta & opera: verũ quod maius est, quædã per ipsos Doctores & Patres Societatis ad prauæ & nouæ doctrinæ semina longius propaganda, aliis & aliis Typographis in diuersa loca mandata, studio, solicitudine, correctione & expensa Patrum ipsorum typis edita contra sui ordinis statuta, contra expressa sacrorum Conciliorum & summorum Pontificum decreta: & quod maxime notatu dignum est, exemplaria vulgari sermone Hispano conscripta vulgo Doctorum & studentium fuere distributa gratis & amore ostiatim per Societatis ipsius Patres & Doctores, Danaos dona ferentes, ignesque suppositos cineri doloso, equo Palladio. Quædam itidem nomine TOTIVS SOCIETATIS, & in causa & pro causa Societatis, in lucem publicam data ab ipsamet, per ipsam inter Ministros Regios, Primates & viros Nobiles ex Aula, ex senatu, ex Curia, sunt dispersa per libellos in Regem & Rempub. falsarios & proditorios. Alia item habita primum pro Rostris coram pleno Societatis conuentu & Curia Regia, deincepsque publici iuris facta, publice Madriti à Societate habentur venalia. Alia inter Nobiles priuatasque personas sciente & probante Societate per diribitores & amanuenses manu scripta dispertiuntur. Plura denique Anonyma, plura suppositis & fictitiis nominibus similiter edita distrahuntur vulgataque dissemi nantur.

Quæ omnia cum multiplici crimine falsi redarguantur, impietatemque contineant manifestam, vt ex huius actionis prosecutione patefiet, auctores, fautores, laudatores, Doctores, vulgatoresque eiusmodi scriptorum & libellorum saltem suspecti habendi sunt de vehementi, incurreruntque crimen Falsi & læsæ Maiestatis in re doctrinæ & fidei grauissima, silentio, conniuentia, simulatione, fautoria: de quibus merito veniunt accusandi. Et ego dictus Magister in eos simul & in Pozam, tamquam in Reipub. & veræ pietatis hostes publicos, Actionem hanc, prout melius & efficacius possum & debeo, publicam instituo, tum ad partis instantiam prouocatus, tum necessitate salutis boni publici & Famæ propriæ coactus, non ex odio, aut ex alio prauo cordis affectu, quod in verbo Sacerdotis per Deum iuro testorque & ad hæc & singula supradictorum probanda & demonstranda teneri & COGI VOLO SVB POENA TALIONIS, & qualibet alia extraordinaria pro arbitrio

ctio Superiorum, sub quorum correctione semper sto. Et postulo ex supra relatis huius accusationis capitibus, cum de eorum CONSTET veritate, ut Poza hominesque societatis huiusmodi ad normam justitiæ & æquitatis debito rigore coërceantur, SVSPECTI & PERICVLOSI in negotio Fidei, Ecclesiæ & Reipublicæ deinceps habeantur, dignique qui PVBLICE ABIVRENT, aut PVRGENTVR, & quià MVNERE DOCENDI in collegiis, ut sanæ doctrinæ & Rebuspublicis NOXIO penitus AMOVEANTVR: ne ad Pozæ & similium exemplum totius Orbis scholas, quibus PER FAS & NEFAS inhiant, auertant, indeque juuentutem & reliquas ætates ac status inficiant: quod de hac olim societate grauissimi viri prædixere, & hodie illustriores in Ecclesia virorum doctorum cœtus & Academiæ ex societate ipsa, & rei veritate confirmant. Et subscribo ut infra.

M. Franciscus Roales.

PARADIGMA SIVE EXEMplum in speciem doctrinæ Pozæ & suorum.

IN dissertationis seu declarationis huius exemplum ex plurimis hæc sint Themata. *Primum.* Tot apologias stare pro se, quod exstant Concilia, ait Poza. Ostendam, tot esse accusationum capita, & Hæresis indicia contra Pozam eiusque fautores, quod clausulas Conciliorum pro se adducunt, imò in pluribus tot esse delicta, quot verba. Et hæc assertio omnium, quæ à me exponenda sunt, est fundamentum basisq; unde dicendorum specimen & initium est capiendum.

Secundum. Reum se esse damnationis æternæ, nisi seueritatem manifestet: item, se scribere, ne Ecclesia veritate priuetur, ait Poza. Ostendam, Pozam in hoc uno sibi constare, quod semper & ubique, etiam cum verissima dicit, falsò loquitur & mendax est: in hoc item uno esse veracem, quod ipse mendacem se prodit, ipse Hæreticum se ostentat.

Tertium. Se de Ecclesiæ cultu in Curia Romana judicari: nescire item an vllus sit doctor, qui magis Ecclesiam exornauerit illustraueritque, de semetipso ait Poza. Ostendam, omnium aduersantium Ecclesiæ sanctæ Dei Hæreticorum nunc temporis & retro, pessimum impudentissimumq; Pozam exsistere: quod exemplis Hæresiarcharum Lutheri & Eutychetis, cum quibus ipse Poza se componit, atque etiam ex aliorum parallelo palam fit.

Quartum. Se, quæ ſanctiſſimam Deiparam maxime commendant, docere: de puritate Virginis judicari à ſacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, ait Poza. Oſtendam, nullum umquam exſtitiſſe pietatis puriſſimæ Conceptionis aduerſarium æque noxium, ac Poza impius: cui ſi fides adhibenda eſt, ſanctiſſima Virgo Deipara cauſam (quod abſit) perdidit: Poza & eius fautores ſociique juſtitiam cauſæ pietatis prodidere: in quo crimen læſæ majeſtatis diuinæ & humanæ committunt manifeſtè.

Quintum. Aduerſari antiquæ Eccleſiæ Dei, Chriſto & Matri ſanctiſſimæ eos, qui ſcripta ſua damnant, ait Poza. Oſtendam, omnes & ſingulos, qui praua damnataque ſcripta Pozæ, aut ipſum per apologias ſe defenſantem defenderunt, fouerunt, approbarunt, commendarunt (niſi eos excuſet innocentia ex deceptione aut ignorantia) ſuſpectos fore de fide: correctione aut monitione maximè indigere.

Deſcendam & propius ad hæc Themata: Exempli gratia, ad allegationem Conciliorum: per decades & hecatondadas delicta Pozæ & fautorum enumero: nec enim minoribus numeris capiuntur. In uno Concilio ſexto generali centies, bis centies & amplius delinquitur. In eodem unico Concilio quadragies verba Hæreticorum pro verbis, doctrina & ſententia Concilij falſo allegat & repetit Poza ſuique. In uno Concilij unius Hiſpani XV. Toletani exemplo referendo (quod incredibile dictu eſt) bis centies peccant, correctione & damnatione digni ſunt. Item in unico tractatu primo lib. 3. Elucidarii ſupra vigeſies falſo aut praue allegat Poza Concilia. Dicam aliquid maius. In uno folio Elucidarii lib. 4 tract. 3. cap. 1. pag. 909 & 910. in Complut. editione, quod incipit, *Pertinent*, uſque ad finem §. *Vbique.* quadragies & amplius Conciliorum loca & ſenſa falſo citat & refert in fauorem hæreticorum, ab Hæreticis palam, & ex eorum ſententia contra Eccleſiam Catholicam: ita ut in eodem folio unico fere bis centies redarguatur falſum docere & innuere pro Hæreticis, contra veritatem rei, mentem Conciliorum & S. Romanæ Eccleſiæ auctoritatem: quod ex collatione ipſa textuum Conciliorum cum Poza palam facio. Neque hyperbolice hæc ſcribo ſed Chriſtiana & fideli veritate, quod teſto Deum juroque. Loquor enim coram Deo, coram ſummo Pontifice coram Principibus totius Eccleſiæ & vniuerſæ Reipublicæ, quos omnes iterum atque iterum per venerandam ſanctiſſimam Trinitatem de more olim Eccleſiæ conjuro, hæc humilitatis meæ non deſpicere, nec me unum ex puſillis expoſitum offenſioni contemnere. Iudicio ſto, lege & jure ago, in luce

ſanctæ

sanctæ Ecclesiæ me inique compellantibus pro causa Fidei satisfacio, atq; vt inimici veritatis confundantur, minimus inter Salmaticenses Magistros, quo sanæ doctrinæ Romanæ Ecclesiæ faciem hac disputatione aduersariis præluceam, illis adsum. In ea sic me geram, ut non nisi manifesta illis obijciam, breuibus enthymematis, breuioribus interrogatiunculis experiar: eisdem auctoribus, eisdem codicibus vtar, quos Poza & sui commendant laudantque. quin potius ipsis testimoniis & locis fideliter allegatis ibidem, quibus illi errores adstruunt, ipsos vincam, nec Pocam sine ipso umquam conueniam. Insuper omnes conditiones ab eo accipiam, quæ possint cum ipsius doctrina subsistere, etiamsi communes cum Lutheranis & Protestantibus comminiscitur. Nullum Tribunal in Ecclesia, nullos judices recuso: nullius in me injuriam metuo, nec timeo, ubi non est timor. Humanum fauorem non ambio: puniri si merear, non deprecor. Adsint vel sub impunitate (quæ jamdiu in Curia Romana illis offertur, sed criminis conscientia diffidunt) quorum interest. Interim me arbitrio superiorum, dissertationem hanc, & quæ illam consequuntur, submitto, publici juris facio & subscribo. Mediolani tertio Non. Octob. 1633.

M. Franciscus Roales.

IMPRIMATVR.

Fr. Franciscus Carenus, Lector Theologus Vicarius S. Officij Mediolani.
Ioh. Paulus Mazuchellius pro Reuerendiss. D. Vicario Generali Curiæ Archiep.
Comes Meioragius pro excellentissimo Senatu.

Iohannes Baptista Poza Societatis Iesu Theologus in principio Apologiæ Miscellaneæ, quæ exstat Romæ penes D. Franciscum Roalem.

MVlti ex nostræ Societatis deuotis & amicis non sine causa admirantur & scire desiderant, cuiusmodi noua occasio ex parte nostra data fuerit ad tempestatem tam generalem & publicam contra Societatem nuper coortam: ita ut ex pulpitis & cathedris, tum in congressibus priuatis, non aliter de nobis verba fiant, ac de genere hominum, de pergrauibus delictis jam conuictorum, & obsequium Deo ac Reipublicæ præstari existimetur, si crimina nostra publicentur, vt vniuersi nos cognoscant, sibique à nobis caueant, tamquam à genere ficto & fraudulento, ab hominibus ambitiosis & ubique se admiscentibus, lucrum captantibus, & opum cumulandarum auidis, adulatoribus Prin-

cipum, quorum fauores & familiaritates veritate venundata captemus, hostibus vitæ strictioris, amicis deliciarum, quodque peius est, de doctrinæ pravitate suspectis, contemtoribus sanctorum Doctorum, amicis nouitatum & pacis publicæ turbatoribus. Quæ omnia, & alia eorum similia atque etiam deteriora, quoniam non dicuntur ab hominibus plebeiis, sed à viris grauibus, doctis & religiosis, non in qualicumque loco, sed pro concione: sicut probabiliter ex bona intentione nascuntur, ita minimè dubium est, quin minore scrupulo dicantur, & maiore credulitate audiantur, quam Christianæ veritati sit consentaneum.

Idem in Breui Relatione de turbis Salmaticensibus annorum 1626. 1627. & 1628.

Inter Magnas persecutiones, quæ in diuersis Christiani orbis provinciis Societatem Iesu afflixerunt, Historiam & styli operam meretur incendium proximis annis contra eam in Salmaticensi Academia exortum: ubi æmulatio contra Societatis filios concitauit primarias Europæ Vniuersitates, illustriores Ecclesiæ Ordines religiosos, personas propter auctoritatem & doctrinam maximi in regnis Castellæ nominis: ut Societatem in eo vulnerarent, quod in ea maximi pretii æstimatur, nimirum in juuentutis institutione, in doctrinæ eius securitate, in morum integritate, & instituti sui professione.

Ibidem cap. VII.

Hispaniæ Vniuersitates ad Regem Catholicum typis publicarunt memorialem libellum aduersus Societatem nostram. In eo homines nostros vocant arrogantes, ambitiosos, auaros, insatiabiles, suspectos de ingentibus furtis regiorum vectigalium, assentatores & adulatores, impostores pietatis velo tectos, importunos & Regi molestos, promissores rerum profanarum piaculo non vacantium, tamquam professionis mathematum, rei militaris & rei nauticæ, Religiosos cum opibus & Aulicismo, implicantes se occupationibus & negotiis sæcularibus, interuersores veritatis, infamatores virtutis, duplices, mendaces, veri occultatores, euersores regni, lupos in vestimentis ouium, immunitatem ab omni jure & lege sibi postulantes, homines diabolicæ industriæ, Cacodæmones, inimicos doctrinæ diui Thomæ aliorumque veterum Patrum ac Doctorum.

P. Pro-

P. Prouincialis Societatis Iesu in Morauia, in epistola ad Abbatem quendam Sacræ Cæsariæ Maiestatis Consiliarium.

Venit hora, in qua arbitratur QUISQUE, obsequium se præstare DEO, cum de Iesuitis MALA OMNIA suspicatur & sentit & loquitur. Nec Religiosus pene ullus, nec Politicus (*seu sæcularis Catholicus*) nec Hæreticus Iesuitas aut religiose viuere, aut veritatem loqui existimat.

Oseæ VIII.

Factus est in nationibus, quasi vas immundum.

FINIS.

S. D. N.